





Regnorum
SVECIÆ,
GOTHIÆ,
Magnique
Ducatus
FINLANDIÆ
etc.
Descriptio Nova.
AMSTELODAMI,
Apud PETRUM LE GRAND.
M.DC.LXXI.



PENINSULANUM REGNUM SVECIÆ,

Sive

Historico-Geographica

DESCRIPTIO

Illarum partium *Svecicarum*, qvæ Balthico Mari à Germanicis ſeparantur Provinciis.

Concinnata & elaborata ſtudio atque operâ

RUTGERI HERMANNIDÆ.


PARS I.



AMSTELODAMI,

Apud PETRUM LE GRAND.

M. DC. LXXI.



Illustribus, Generosis, Nobilissimis atqve Amplissimis Viris ac Dominis,

D. GEORGIO RIPPERDA, Domino in *Verwolde*, Curiæ Supremæ Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ Senatori, Urbis & vicini Doesburgensis Territori Judici. &c.

D. GERHARDO NICASIO AB HELL, *toe de VVildbaen*, Supremæ Ducatus Gelriæ & Comitatûs Zutphaniæ Curiæ Senatori, & Urbis Arnhemiensis Consuli. &c.

D. JOAN. à WYNBERGEN, Supremæ Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ Curiæ Senatori, ejusdemque Ordinum Præsidi, Feudorum Admini-


ministratori ac Urbis Hardervicenæ Consuli.

D. WOLF. ab HAARSOLTE, Domino de *Yrst*, Supremæ Curiæ Ducatûs Gelriæ & Comitatûs Zutphaniæ Senatori, ad Illustrissimum Consilii Statûs Fæderati Belgii Collegium Delegato, Hattumensis Urbis Consuli. &c.

Omnibus Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ Academiæ

CURATORIBUS.

Illustres ac Generosi Domini,



ETSI *omnes, qui rectum in communi virtutis stadio ac voluntate sensum retinemus, abunde satis habeamus pro*

pro qvibus Vestris gratulemur honoribus ac gloriæ, qvi tantum præsidii laudandarum nuper artium studiis attulistis, qvantum adferri posse à nemine existimatum fuit; majori tamen gaudio duci debemus, qvod Vos extremis his pæne temporibus litterariæ nasci contigerit reipublicæ, qvos solos, labascentibus jam patriæ rebus, & præcipitantibus ferè, auxiliatrices adhibere manus confidimus. Ea siqvidem innatarum Vobis virtutum, qvæ undiqve renitent, & domi est dignitas, & fama foris, ut excitandis rebus humanis, qvæ periculosissimis incertorum jam temporum fluctuant casibus, miranda fatotum benignitate nati ab omnibus judicemini; maximè cum infractorum animorum Vestrorum sic in-

victa vigeat magnitudo, & in dies sic augescat, sicqve apud exteras etiam deprædicetur gentes, & sic illustri omnium excipiatur favore, ut nulla eam oblivio, temeratâ etiam sæculorum memoriâ, obscuratura, aut prædicationi ejus ulla finem allatura videatur æternitas. Non enim diuturnior laudis esse potest nobilitas, qvam qvæ communi omnium consensu ac voluntate, propter magna ac præclara in remp. merita, doctrinâ ac rerum gestarum gloriâ præstantibus defertur viris: neqve gratia cujusqvam illustrior haberi qvàm ejus debet, à qvo non litterarum minus dignitas, qvàm communis utilitatis propugnatio, aut alia reip. ornamenta majestasqve in suum restituta honorem atq; adaucta videantur. Hic nominis Vestri

splen-

ſplendor, in vera illa naturæ laude & dignitate conſilii poſitus, cum univerſum prope orbem in Veſtrûm pertrahat admirationem, jure mihi qvoqve neceſſariam adfert rationem, ut officia mea cuncta, cunctum meum ſtudium diligentiamqve ad tam ſplendidam nominis Veſtri Amplitudinem conferam, ut qvi à primis ſtatim Academiæ Veſtræ initiis, qvamvis ſplendidam ſatis commiſſam mihi haberem Spartam, qvam vel ſolam multi non niſi moleſtè tutari poſſent, cum eâ me palam inſtructum judicaſſetis virtute, qvi pluribus ſufficerem laboribus, Academicis juxta adhibitus ſum curis, qvas identidem majoribus mox & titulis auxiſtis, & ſolita Vobis liberalitate, etiam tum cum prudentioribus Veſtris judiciis

reluctarentur illi, de qvibus melius meritus eram, & qvibus, ratione Auctoritatis Vestræ, & sui respectu officii, obseqvii *tantum* relicta erat gloria. *Hac ita ludente mecum fortuna, vestram inter benevalentiam, & malevolorum invidiam, cum incredibili,* ILLUSTRES ac GENEROSI DOMINI, *in me studio ac benevolentiâ fueritis suffragati, & ego facile intellexerim, qvam mea me opinio de maximis animorum vestrorum virtutibus, de excellentibus naturæ indiciis, & facillimis morum ingeniorumqve dogmatibus non fefellerit, maximoporè mihi gaudendum erat, Vos tum honoris mei, tum fortunarum Auctores conseqvuto, qvarum spe in gravissimo Historici & Politici secessu, ad privatos*

corporis

corporis labores, induſtriam animi publicam, & exqviſitiſſimi ingenii excitarer commentationem, ampliſſimoqve earum fructu illuſtriorem meam facerem dignitatem; qvamvis multo ſane jucundius ad animi mei ducam delectationem, qvod eam, qvæ inter me & Vos conſtituta eſt officiorum neceſſitudo, vel ideo perpetuam fore confidam, qvod nulla futuræ utilitatis ſpe, ſed ſtudiorum ſaltem voluntatiſqve primum τεκμηρίῳ, *ac inde plurimis etiam Veſtris in me confirmata eſt beneficiis. Vos ſiqvidem ipſi,* ILLUSTRES ac GENEROSI DOMINI, *fluctuantem tum virtutem meam, & fortunas in multis incertam ſcopulis, ne ſuo pulſa loco, alieniſque obſoleſceret ſordibus, Ve-*

ſtro adverſus eos excitaſtis favore, invidæ qvorum mentes, cujus exiſtimationem honoribus amplificare debebant ac laudibus, ejus dignitatem conati ſunt opprimere: & ſingulari in me beneficio, non ſine clariſſimorum tamen Virorum exemplo, veluti è longâ ſtudii jactatione, in tranquillum conſtituti honoris adduxiſtis portum. Quapropter ut pro maxima mea & perpetua in VOS *veneratione honeſtum aliqvod exſtaret officium, ac meam me juxta* VOBIS *metiri intelligeretis voluntatem, ſtudiaqve mea, meam operam & induſtriam ad illuſtrandam Veſtram convertere voluiſſe dignitatem, hanc Peninſulani Regni Svecici Hiſtoriam, à* Noachi *cæptam temporibus ad hoc noſtrum uſqve*

ſæcu-

ſæculum, non alio qvam Veſtro nomine, in hominum pervenire manus volui, ut authoritati Veſtræ obſeqvutus, qvam ſactiſſime mihi colendam ſuſcepi, Veſtris auſpiciis ſtudioſam hanc opellulam meam univerſo commendarem orbi. Sed hujus meæ erga Vos voluntatis; præter dictam jam cauſam, alias item habui ut plurimas: nimirum, qvod finis præſentis historicæ meæ narrationis Veſtræ gentis facti claudat materiam, qvâ remotiſſimis etiam innotuiſtis populis, & cujus interventu decori Veſtri laus æterna manebit atqve immortalis: qvod incredibilis Veſtræ erga me omneſqve humanitatis, qvi ſpe atqve animo de gloria nominiſqve ſui exiſtimatione cum omni poſteritate adæqvandâ cogitant, indicia in argumen-

argumentum meæ in Vos traham observantiæ: & ut officii deniqve mei necessitudinisqve Vobiscum causæ ad colendam animorum Vestrorum præstantiam, prudentiam item, & ipsam benevolentiæ impellant admirationem. Qvæ omnia si ad egregias animorum Vestrorum virtutes, qvas ego nec admirari satis possum, nec prædicare desinam unqvam, demerendas neqvidqvam impetraverint, nihilominus tamen confido, vel Vos ipsos judicaturos non sine gravi culpæ reprehensione me facturum fuisse, si, post tot publicæ manus meæ exercitia, novissimum hactenus meum institutum alii inscripsissem potius, qvam Vobis, qvibus ipsas conatûs mei jam ante debueram primitias. Nam si magni aliqvi, aut excellen-

cellentissimi eloqventiâ, vel authoritate graves, illustresqve gloriâ nominis mei propugnatores mihi qværendi fuissent, soli profectò Vos post hominum inveniri potuissetis memoriam, qvi & artibus ingenuis, & viris litterarum studiosis suam poßetis tuto servare dignitatem. Si Politicæ Historiæ, cujus non sterilem hoc nostrum institutum habet, ut spero, narrationem, alicujus studio proponi potuisset atqve judicio; soli Vos, hujus ita estis periti atqve prudentes, ut experientiâ magis, qvam disciplinâ; judicio, qvam scientia; & virtutis deniqve religione, qvam præceptis vel institutionibus ad præclaram hanc ingenii mei atqve famæ commendationem informati judicari potuissetis. Aut si communium

nium ultimò eligendi mihi fuissent litterarum defensores, qvâ me voluntate in Vos esse oportuisset? qui conspirante totius orbis consensu (procul ab omni absum adulatione) omnia summa & ad ingenii laudem, dignitatisqve splendorem ipsâ virtute adepti estis duce: & qvæ singula magnam in omnibus merentur laudem, ea universa naturæ doctrinæqve ornamenta propriâ consequuti videmini industria. Accipite ergò hunc meum qvalemcunqve laborem, qvem in usum communis nunc scripsi reipublicæ, atqve eundem benevolo amplectentes affectu, ita vestris fovete studiis, ut, resumptis qvasi viribus & animis, author his porro invigilet alacrius, qvæ sub suis adhuc parturit manibus, Vobisqve inde se

ſacra dicaturum fide pollicetur, ubi ſe ſtudioſè adverſus eorum defenſum ſenſerit calumnias, qvi per alienæ virtutis oppreſſionem nominis ſui aucupantur famam. Dabam Hardervici *Calend. Febr.* ANNO M. DC. LXXI

Illuſtrium Generoſitatum Veſtrarum Studioſiſſimus Cliens,

RUTG. HERMANNIDES.

A D

Clarissimum & Eruditissimum Virum,

D. RUTGERUM HERMANNIDEM J. U. & Phil. Doctorem, hujusqve in Academia hac Professorem Primarium, Collegam honorandum, novum ingenii sui fœtum edentem.

SErenam amare turba Castalis mentem,
Parens & ipse, flore cui juventutis
Semper virente vernat, ut ferunt, sanguis,
Mœroris atra nubila haud minus fertur
Fugere, ac svevit ipse nubium invisos
Victor fugare reddito globos cœlo.
Quid ergo nostrum, ò literis caput charum
Decusque magnum, HERMANNIDE, expetis carmen?
Cui verè acerbo funere asperum fatum
Parcente nulli filium abstulit falce,
Simulque nostra gaudia & voluptatem:
Ætate prima heu! filium unicum, lingua
Tentante verba dimidiata, fragmineque ipso
Bis grata blandientem; ut ante spem nostram
(O spes inanes, irritaque hominum vota!)
Nostrumque delitium, ita nunc gravem luctum.
Plectra ergo sordent, & fides jacent mutæ,
Testudinemque dextra, sed magis dextram
En ipsa testudo fugit, virentisque
Funesta cupressus juvat loco lauri.
Sed legibus mortalitatis adstrictum,
Et commodato dederat hunc parens summus.
Huic ergo depositum suum reposcenti,
Imo in beatas, quò quoque ipsi anhelamus,
Decursa nos post spatia perbrevis vitæ,

Sedes

Sedes locanti, edacibus procul curis,
Ex luctuosâ hac valle, totque terrente
Sævo undique adspecta minantium semper
Formis malorum, contumace nos vultu
Querulâque linguâ obmurmurare non fas est.
Sed ter quaterque sorte tu tua felix!
Cui nomen à mortalitatis hac sorte,
Vir magne, cedro digna vindicant scripta.
Et prole qui egregia favore divino
Beatus, sæculum tui insuper fœtu
Beas cerebri, patre qui suo dignus,
Caveæque læto exceptus eruditorum
Plausu, perennis omnibus manet sæclis.
Absiste letum, mors tuam abstine dextram,
Quamvis avaram, juris hic tibi nil est.
Nempe erudita mentē sic satam prolem,
Et obstetricante hujus optime gnarâ
Artis, cerebro quippe quæ sui fertur
Prognata Patris, Pallade editam in lucem
Humo ipsò fama tollit, & vetat pennis
Suis levatam, & docta per virorum ora
Rogum volantem, aut ultimam timere urnam.

WILH. WILHELMIUS, Phil. & S. S. Theol. Doct. ut & Facultatis hujus in Gelrorum Acad. Prof. Ordin.

In

In Hiſtoriam

SVECICAM,

A Clariſſimo & Celeberrimo Viro

D. RUTG. HERMANNIDE,

Luci ac æternitati donandam, Anno mirabili, M DC LXX.

DUm convulſa domi dubiis mea Belgica bellis
Pugnat, & ambiguo conſerit arma mari;
Claſſicaque intrepidis pandit vexilla carinis
Invigilans animo non pavitante Leo;
Dum malè perſocias graſſatur Epiſcopus Urbes,
Illicitiſque capit qualibet arma dolis:
Surgunt interea in Gelris nova prælia Terris,
Prælia non terrâ, non metuenda mari:
Exhibet hæc aliis pugnans Prudentia campis,
Laxa, ſed hiſtoriis indubitata ſuis.
SCANDIA *ad Arctoos Regio diffuſa Triones*
Hic bellatrici porrigit arma manu,
Et populos, tractuſq; procul ſe fundit in omnes,
Quaque patet, tantum Dania Martis habet.
Jam Veſtras duo Regna, Vices; jam Balthica circum
Littora, Sundano prælia geſta mari,
Concuſſaſque lego furiis fatalibus Urbes,
Quicqvid & evicti Mars ferus Orbis habet.
Omnis in ancipiti Regio eſt: Jugenda Britannis
Imperiis reſtet, vel bene, Belga, tuis;
Exploratricem quæ non male nota paleſtram
Intret

Inret, & incertas vincat anhela vices!
Auxilio Batavæ veniunt trans æquora Puppes,
Victorique cadit Laurea prima Deo.
Hæc regni fortuna tui est, VICTRICIBUS ARMIS,
Rex Carole, assertam fallere nolle fidem.
Militet armorum nervis Mars! Occupet hostem
Vis pia, vel tacitâ proditione Dolus!
Tessera Relligio belli est. Supremaque certis
Limitibus costant Regna tuenda suis.
Sic dum Victa legis concussi Robora regni,
Restat adhuc sceptris illa Corona Tuis,
Quod valent ruitura minus, descripta superfit,
Jamque aliâ possit posteritate legi.
Gelriacus vivam. Te viribus exhibet Hermes.
Græcia cui pridem, Scriptaque Roma fuit?
Quo male compositis collisa Britannia Turbis
Sæpe alias vidit, dum tulit arma, Vices.
SVECIA, *quæ pelago & terris distinguitur, Illa*
Imperii poterit nunc ratione legi.

ROB. KEUCHENIUS, JCtus,
& ad Amstelam Historiar. Prof.

A D

AD

Clarissimum ac Consultissimum
VIRUM,

D. RUTG. HERMANNIDEM U. J. D.

& Historiarum Professorem, Descriptionem SVECIÆ edentem.

Finibus extremis Belgarum missus in oras
  Heic adeo & peragis nobile semper opus.
Qui Lithvanorum debes primordia genti,
  Huic volupe est Patrios rursus adire Lareîs,
Et tibi magnus amor cunctas invisere terras,
  Et fuit ingenii maxima cura tui.
Gratamur Patriæ præsens quæ lumen adorat
  Clarius Arctoi sidere pænè poli.
Demeruisse vales sublimis munere mentis,
  Quicquid Athenæum aut publica vota probant.
Tergeminum Britonum scripsisti HERMANNIDE regnum
  Nuper, & inferius quod fuit estque refert.
Pertentas adeò vada caligantia Thules,
  Collustras circum littora tuta suis.
Nunc tibi succrevit studium, Gothosque reducis
  In lucem, ac tenebris eripis usque suis.
Marte feros populos operâ conjungis eâdem,
  Orbis ad imperium progenitosque dabis.
Horrificas non atra magis Styx occupat umbras,
  Sævam tellurem nec magis ursus amat.
Tu tamen ingenti Capitolia celsa timore
  Corripis. & *Svecos* laude per astra vehis.
Velocique doces penna, quod spernere vulgus
  Turpe solet, Seris ditius esse solum.
Tota equidem hic Natura stupet mirabilis, at nunc,
  Non obscura magis, fama stuporis abit.

Singu-

Singula quæ fodit hic fossor pretiosa metalla,
Plus est, quam *Lydus Phryxque* superbus habet.
Dum fluviosque sinus, montes & cædua saxa
Censes, Ausoniis sunt potiora locis.
Erectos mores, genii dum robora *promis*,
Simpliciter Grajis sunt potiora locis.
Æstimiumque situs dum sic ostendis & artes,
Quis sat longinquos finitimosque domat.
Inde fide mediâ medium complectimur omnes
Historicum, quo non-certior autor erit.
Cui Ptolomæo favor est, doctoque Strabone
Major, nec vero pulchrius ausa nitent.
Cujus ab illustri dicetur nomen Eoo,
Carius Arctoo posteritasque volet.

Honoris & amoris ergò Magno Professori quondam de se optime merito posuit subitò

R. à S. JCtus.

I N-

INDEX ICONUM.

Primæ Partis.

Secundæ Partis


Histo-







Historico-Geographica
DESCRIPTIO
REGNI
SVECIÆ.



VASTUS ille maxime Septentrionalis Europæ partis tractus, qui à Scythico littore unius tantum diei, vel tridui itinere distat, inter 55 & 72 borealis Latitudinis, & inter 25 atque 65 Longitudinis gradum situs *a*, ut ut ab antiquissimis *Græcorum Gentibus* perfecte perlustratus non fuerit *b*, *Balthia* tamen nomine ut plurimum innotuit *c*, *Nerigon* postea dici cepit *d*, Succrescentibus inde Romanæ majestatis viribus, cum vix quidquam superesset in Oriente, quod ab illius intactum esset armis, ac latè jam in Occidentem masculæ gentis pe- netras-

Scandia;

a *Andr. Bur. in descr. Svec. Moris. in Orb. Maritimo lib. 2 cap. 15.*
b *Cluv. Antiq. Germ. lib. 3. c. 37.*
c *Plin l. 4. cap. 13. & Dom. Mar. Geo. Com. lib. 2.*

netrasset virtus, universam hanc Orbis partem, ab Incolis ob amænitatem regionis *Schanau a* suo idiomate dictam, *Scandiam* & *Scandinaviam* appellitaverunt. *b* Ptolomæo dicitur *Scandia Superior:* ejusque quatuor ponit esse insulas *c*, cum peninsula sit *d*; cujus Isthmus *Onega* lacu, & amne *Povenecz* clauditur.

a *Adam. Brem.*
b *Plin. l.* 11. *c.* 108.
c *Tacit. in Germ.*
d *Boter. Relat. dell. Europ. p.* 1. *lib.* 1.

Regionis felicitas.

Regio tota situ ac rerum omnium copia admirabilis. Quæcunque naturæ sunt opes, illas munifica omnes manu uberrime in hanc contulit peninsulam. Non aëris aut cœli hic alias cupias dotes, neque quos vel terra suos proferat fructus aut mare, quod vastissima sua interluvie, ita omnes ejus tutatur limites, ut adventantibus undicunque hostibus accessu non nisi difficillima sit *e*. Accedunt à maris usque Albi termino ad flexuosa *Scandiæ* ac *Norvegiæ* littora, mox ad ipsum inde sinum Godanum, fragosi undique scopuli, rupibus adeo asperi, ac montium pedibus ita cavernosi, profundi ac obliqui, ut, missis in profundum funi-

Situs.

Accessu difficilis.

e *Olaus Magn. l.* 2. *capp* 7. 8. *Dom. Mar. Geo. Comm. lib.* 2. *Volat. Geogr. lib.* 7.

funibus, quorſum inexhauſtæ voraginis tendat hiatus non niſi difficillimè perſcruteris *a*. Ornatum ſi velis, & qui contuentes naturæ munera in admirationem rapiat? ſunt ſpongiæ, quæ ad dicta littorum ſaxa nativis frequentes adhærent fibris, ac quibus ſenſum adeſſe deprehendas, & quæ, ubi tangentem ſentiunt, mox ſe contrahunt, quò avellentur difficilius *b*: detractæ, veluti dolentes, cruoris in petra relinquunt veſtigium. Ubertatem alluentis quis non miretur maris? aut quis non ad ludentis undique pelagi obſtu peſcat miracula? Sunt in eo Arietes & Catuli canum marinorum, Italico *Bolome*, vernaculo idiomate *Hanſiſck* dicti, qui, humano infenſi generi, turmatim natantes aggrediuntur homines, niſi è veſtigio auxiliatrix adſit Raia, quæ nocentes abigat graſſatores, atque ut enatent eadem pro viribus urgeat *c*. De qua hoc ſimul memorabile eſt, quod illo piſce non ullus alius, in quovis etiam piſcoſiſſimo mari, inveniatur cartila-

a *Fourn. Geogr. part. 1. l. 2. cap. 5. Ol. Magn. lib. 2. cap. 10.*

b *Olaus Magn. lib. 21. c. 25. Oceani Germanici Ubertas.*

c *Ol. Mag. Hiſt. Gent. Septentr. li. 21. c. 22. & lib. 19. cap. 9.*

gineus magis: quòd in dies ovum cum albugine, vitello ac testa pariat gallinæ nòn absimile; in utero autem ad centum simul gerat, quæ paulatim ad partum usque perficiuntur: quòd nullus piscis alius sit, qui rictu oris aut hiatu tam latum deglutiat, & quod denique tam acutis, in triplicem usque ordinem, per caudam horreat aculèis, præter ipsum extremum acumen, quod pestiferum est, &, quo ubi alga se texit, aut in limosa se pervolvit arena, adnatantes alios figit pisciculos; majores autem extremis caudæ radiis implicitos etiam confodit. Unde solemne maledicendi apud incolas verbum, quoties sinistri quid aliis augurantur, quod Raiæ illis caudam in æsophago imprecentur. De reliqua maris ubertate hoc quis sentiat? Non Indici maris unquam ambara, aut Persici sinus uniones, vel Æthiopici aureus pulvis, neque Mediterranei maris corallium, aut succinum Balthici, vel cujusquam littoris piscariæ oræ, tantum mortalibus attulerunt unquam

quam

quam emolumenti, iis maximè qui piſcatorio quæſtu lucroſam tolerant vitam, quantum *morrhuarum* & *halecum* præſtat captura, in hac maris parte, quæ inter Orcades, Iſlandiam & Norvegiam media ſubviridis conſpicitur, & ab Hollandis de *Haringh-zee* vulgo appellari ſolet. Nam licet Octobri & Novembri menſibus inſulæ omnes & perpetuæ continentis oræ continua rigeant glacie; ab ipſo tamen hyemali ſolſtitio, ita tepeſcit mare, & nebuloſa cæli denſatur caligo, ut in freqventes ſolvatur pruinas: fœcundatæ qvibus aquæ in maximam piſcium abeunt copiam, qui omnes atro præterea limo, qui plurimus hic in aquis congeritur, adeo delectantur, ut, ſi alii cibō deſint piſciculi, eo pro ſuo utantur condimento, vicinoſque in ſedulam ſui provocent piſcationem *a*. Unde fit quod plures qüam quingentæ quotannis ex ſola Iſlandia barcæ, tribus ad minimum lintrariis auctæ, in hoc prodeant mare, quæ hamatis inde lineis, à Bru-

a *Olaus Magn. lib.* 20. c. 22. & 23.

mali ad Æſtivum uſque ſolſtitium, morrhuarum piſcationi dant operam, nec prius inde diſcedunt, quàm frequentiſſimâ onuſtæ prædâ. Quibus ſi Anglorum Batavorumque jungas integras claſſes; quis dictorum piſcium non miretur multitudinem? Vix fidem quis faciat ſolos Hollandos tantam halecum interdum piſcari copiam, ut Romanum numerus fugiat eloquium, &, niſi Arithmeticis etiam exprimi poſſet characteribus, qui eſt 14800000000, omnes maris hujus fugeret munificentia, quam à feſto D. Joannis ad natalitia tantum Chriſti largitur. Quem numerum ſi quis plus ſatis arbitretur immanem, multo ſane juſto minorem facile judicabit, ubi attenderit ex Hollandia 1400. quotannis in eum finem naves ſolvere, quas *Lesbos* Latini, Belgæ *Buyſchen* appellare ſolent, exceptis interdum quadraginta grandioribus munitiſque, quæ in tutamen aliarum comitari ſolent. Nec eſt quarum non ſingula ad viginti vel quadraginta quinque onera, incolis

lis *Lasten* vocantur, quorum unumquodque 12. dolia, h. e. duodecim halecum millia continet, ter ex Norvagico annuatim, totidemque vicibus ex Britannico mari domum referant. Ne quid dicam de Anglis, qui in aliquam maris hujus partem jus vendicant suum, aut Gallis, qui in singulos annos ad quingentas ad minimum naves in eundem solvunt usum, quorumque non sterilis labor atque impensæ *a*. Obstupescat aliquis integras interdum à piscatoribus hic hirundinum extrahi massas, quæ ala ad alam, pedes pedibusque atque mutuis implicitæ rostellis, ubi suavissimos ediderunt cantus, sub principium autumni, in profundum abeunt, atque inde adventante vere, in æstuaria devolutæ accessu caloris revivíscunt, adque suum redeunt volatum *b*. Porro tam inexhausta dictorum in hoc mari piscium copia, atque non infœlix venatio facit, quod, qui ad hujus maris littora habitant incolæ, neglecto arvorum cultu, solis contenti piscibus, exiguum

a *Fourn. Geogr. part. 1. lib. 2. cap. 5.*

b *Olaus Magn lib. 19. c. 11.*

passim panis habeant usum, passim etiam nullum.

Mox maris hujus undæ Iuttiam inter & Norwegiam ab Occasu ad Ortum inter utramque immergentes regionem, obliquanto ab Aquilone ad Notum progressu, lateque diffusis suis fluctibus, vasta utrimque feriunt littora. Nomen pelago *Balthicum* est: sive ab antiqua *Balthia* appellatione *a*, sive proprio hodie vocabulo *Belth* (cingulum aut baltheum vulgo significat *b*) cujus primi fuerunt authores *Adamus Bremensis*, *Helmoldus* & *Krantzius c*, quod per angustas in Fioniam & Sialandiam insulas fortitum universo mari communicat *d*; sive à Wisegothis Balthis h. e. audacibus *e*; aut quod in modum Balthei, longo per Scythicas regiones tractu porrigitur. Sunt & qui *Codanum* dicunt *Sinum* *f*, ab Insula Codanonia, hodie *Sialand g*, quod magnitudine & fertilitate aliis antistare insulis crederetur. Alii à *Cauda* dictas putarunt aquas, quod caudæ instar extra Oceani quasi

cor-

Balthicũ Mare.

a *Albert. Krantz. Hist. Svec. lib. 1. c. 2.*

b *Vid. Salm. in Solin. p. 519.*

c *Mart. Zeill. Descr. Dan. p. 28.*

d *Fourn. Geogr. p. 1. l. 2. c. 9.*

e *Iornandes c. 29. Adam. Brem. l. 1. cap. 1.*

f *Pomp. Mela l. 3. c. 3. Plin. l. 4. c. 13.*

g *Ortel. Th. Geogr. in Voc. Codanonia.*

corpus per incurva terrarum divortia recedant: exinde fortasse, quod *Coda* Varoni pro Cauda dicatur *a*. *Cothanum* dixerunt aliqui, quod omni ex parte priscas Gothorum sedes undique ambiat. Alii *Sinum* voluerunt *Germanicum*, aut *Mare Suevicum*. Sunt qui & ab usitato Vandalorum Idolo *Godan* nominis duxerunt imaginem, quod patrio sermone *Deum* significabat *Bonum*. Invenias qui & Venedicum hoc mare dixerunt, ut Mela *b*, à *Venedis* Germaniæ populis, vel à *Veneden* qui antiquitus denotabant lacus aut paludes, atque exinde Venedorum Venetorumque gentes nomina sortitas. Ex his qui *Bothnicum* dici maluerunt, fuit *Olaus*, quòd Suevorum lingua *Both* terram aquis non multum extantibus substratam significet. Hodie *Oost-zee*, sive *Mare Orientis* vocant Nautæ respectu Occidentalis Oceani, vel quod Dani Orientem, & sanctam olim petentes terram hoc mari ferrentur in Russiam *c*: aut quia, etsi æstus in illo nullus sentiatur, aquæ tamen con-

a *Non. Marcellus, cap. 2. n. 135.*

b *Ptolom. lib. 8. tab. 8. Tacit. Plinius.*

c *Hist. Erici Egod. Dan. Regis.*

continuo ferantur fluxu ab Ortu in Occasum *a*. Cæterum ipsum hoc Mare Balthicum, non eâ antiquis scriptoribus notum fuit figurâ, qua nostra hoc sæculo satis aperte noscitur, terris undique, ad fauces usque, sive Ostium, cinctum; sed transire eum rursus in Oceanum Septentrionalem, sive Hyperboreum mare, credebatur, ad finem Sevonis montis, qua Russis nunc accolis *Bjelo More*, hoc est Mare Album, & alio nomine *Granvicus Sinus* appellatur. Qua ratione insulæ efficiebantur duæ, *Scandinavia* atque *Finningi b*, contra præsens experimentum. Universum ejus tractum Mela posuit ad plura quam ducenta passuum millia, quà initium sumit à Cimbrico promontorio *Schaegen* Norvegiæ opposito, cujusdam Viri docti ratiocinio, ad Nervam Russiæ oppidum *c*. Majoribus minoribusque insulis crebro in fretum cogitur, ac flexuso subinde anfractu sese projiciens tres quatuorve præcipuos aperit sinus. Ex quibus, qui se maxime in Ortum porrigit *Finnicus*

a Fourn. p. 1. lib. 1. cap. 9.

Figura Maris Balthici.

b Iornand. & ex eo Cluv. Ant. Germ. lib. 3. cap. 37.

c Zeill. Discr. Dan. p. 29.

nicus, totius Peninsulæ terminum facit, atque inde *Ladogam* lacum, quem *Sveri* flumine cum lacu *Onega* jungit, in suum vocat officium. Præstat idem & exiguus inde Isthmus, qui patulum transitui aperit iter ad fontes usque interluentium aquarum, vulgo *Vigoziero*, quæ per sua se in *Mare Album*, sive *Sinum Granvicum*, exornerant fluenta, omni piscium genere fæcundissima, non qui usui tantum sufficiunt habitantium, sed qui & ad omnes paláti faciunt delicias. Ultimum inde terminum ad Ortum facit ipsum *Mare Album*, cui nomen hoc largæ nives, &, quas illuc invehunt reliqui frequentes fluvii, glacies dederunt a. Reliqua, ad Aquilonem, Hyperboreo finitur mari.

Isthmus Scandinaviæ.

Mare Album.

a *Fourn. p. 1. lib. 2. cap. 4.*

Peninsula tota sua übertate felix. Ad Septentrionem montibus & sylvis horrida: ad Meridiem irriguis undiq; pascuis beatissima; fluminum autem copia atq; interluentibus ubique stagnis refertissima est. Regio ipsa vasta, &, quia antiquis non satis perspecta b, ideo Solino nihil in ea magnum, præ-

Scandinaviæ Ubertas.

b *Dom. Maj. Geogr. Comm. l. 2. Vol. Geogr. lib. 7.*

ter ipſam *a*. Cœterum terra virorum dives, & numeroſis atque immanibus frequens populis, ſed quorum pauci quondam incolebant Urbes. Frequentiam teſtantur plurimæ in alias mundi partes quaſi inundationes, cum partim ob populi frequentiam ac innatam fæcunditatem, partim populi naturam bellis ſuetam, privataque fugientem diſſidia, fera in poſteritate ſibi pararent nomina; nec non vaſti in maxime inviis denſiſſimiſque etiamnum hodie ſylvis lapidum acervi, certiſſima priſcarum habitationum indicia *b*. Mirabéris antiquæ gentis in pueris etiam ad bellum ſtudia, quorum adoleſcentuli, ut in patrios paulatim animos, privati tædii pellendi gratia, & ad efformandos ad prælia mores aſſurgerent, immenſas nivium moles caſtrorum conformabant in morem, portiſque ac propugnaculis diſtinguebant ſuis, & frequentibus ſtructuras aquis ac frigore ita indurabant, ut ad iterata hodie tormentorum non diſſilirent fulmina. *c* Aëris ſubinde tan-

Frequentia populi.

a *Solin. cap.* 20.

b *Andr. Bureus in Geogr. Reg. Svec.*

c *Ol. Mag. libr. 1, c.* 10.

tanta ad Aquilonem intemperies, ut, ob frigoris injurias, clavi interdum revellantur, quibus affiguntur feræ *a*. Prisci quoque ingenii imitamentum est, quod hodie etiam hic contueri licet in venationibus; in quibus lævigata pedibus supponunt ligna, anterius ad arcus formam inflexa, ac in novem aut decem porrecta pedes, Rangiferi cervi pelle subductâ, baculi, quem manu tenent, opera, incredibili cursûs celeritate, sursum deorsumque sese propellentes, rectà vel oblique, ac tortuosa quavis gyratione, per inaccessa montium cacumina, in omnem ad libitum partem, pernicissimas quasque insectantur feras, & omni quamvis pernicitate ferantur præcipites, ubi libet tamen consistunt *b*, quod Rangiferorum pili ejusmodi sint, ut instar echinorum se erigant. Animantes si spectes, invenias quæ nec æstum ferre, nec calorem queunt. In hoc genere volucrum genus est *Onocrotalus c*, haud ansere minor, qui repleto aquis gutture rudentem imitatur asinum. Inter pisces memo-

Frigus.

a Fourn. p. 1. lib. 2. cap. 6.

Incessus per glacies & nives.

b Ol. M. lib. 1. cap. 12. & 15.

Onocrotalus.

c Ol. M. l. 19 c. 19.

a Ol. M. l. 21. c. 10. memorabilis est *Xiphias a*, omnium maximus, qui phocas etiam deglutit. Ex quadrupedibus Alcem seu majorem cervo Rangiferum habet jubatum, haudquaquam solivagum. Nam turmatim incedit *b*, cornua gerit amplissima, & etsi cervinis tenuiora, plurimis tamen diffusa ramis. Ad domesticos usus lactis, butyri & carnis sufficit copiâ: & invenias qui quandringentos simul alant, quos ad solius tibiæ cantus ex consuetis revocent pascuis. Curribus si jungas, leucas triginta decurrunt germanicas, & continuis quidem duodecim horis, idque sine cibo aut pastu *c*.

b Ol. M. l. 18. c. 1.

c Ol. M. l. 11. cap. 30. Pont. in Descr. Finmarchi. Gentis Origo.

Populi qui eam incolunt, originis suæ antiquitatem cum aliis habent communem, qui à Noachi temporibus ultima repetentes primordia, natales suos in ejusdem posteritate quærunt. Principes familiæ viros habent Iaphetum & Magogum, ex quorum altero Magogitas, postea Scythas dictos *d* fuisse quis ignorat *e*? & circa principium repa-

Vet. Chron. MS.

d Philip. Melanth. Chr. lib. 1.

e Ios. l. 1. Ant. c. 7. Christ. Massaeus Chr. l. 2.

reparati generis humani ad Araxem fluvium paucos consedisse *a*? cum quibus permixti postea, qui à *Gether* Aran filio, & Semi nepote orti *b*, communi genti fecêre nomen, ac in gentium transmigrationibus Abavi sui Noachi adimpleverunt prophetiam, quæ Iapheti posteritatem in Sem habitaturam tentoriis prædixerat *c*, ac sic utriusque postea posteros religionis & coloniarum vinculo unitum iri *d*: ut constans sit sententia, qui *Gothi* postea dicti fuerant, eosdem primitus *Getas* appellatos fuisse *e*. Hi omnes, gentium aliarum conditione, cum, per incrementa singularum familiarum, & angustias inhabitatarum terrarum, novas sibi rerum quærerent fortunas, primi dictam occuparunt peninsulam.

In quo felici rerum successu cum ad

a *Diod. Sicul. lib. 1. Bibl.*

b *Gen. c. 10. v. 22. 23. 1. Paral. 1. v. 17.*

c *Gen. 10. v. 27.*

d *Ioh. Locc. Ant. Svec. Gott. p. 2.*

e *Phil. Melanth. l. 1. Chron. Confer Ælium Spartianum in vit. A. Caracalli. Vid. Locc. in Ant. p. 4. & Proccopium cum Hyeron. in Genesin. Marc. Zuer. Boxhorn. Histor. Univ. ad an. 250. p. 224. Ant. Bonfin. Rer. Hung Decad. 1. lib. 2. M. Ioh. de Thwrocz Chron. Hung. cap. 3. 4. Erasm. Stella Libanoth. de Vetust. Borussia. lib. 2. Math. à Michov. de Sarm. Asiat. lib 1. Alb Krantz. Hist. Svec. lib. 1. cap. 5. & 24. Dionys. Alexandr. de situ Orb. p. 101, & 102. Eustath. Thessalon. in Comm. ad Dionys. Alex.*

ad votum crescerent singula, avitam animi magnitudinem in remota transtulêre loca, ex qvibus vicina quæque proxima fuerunt *a*. Inde, *Filimaro* & *Gilberico* Ducibus *b*; progressi eo tempore, quo Sylla Romæ imperabat, diu ad ostia Vistulæ suum habuerunt imperium *c*. Unde iterum profecti late per Silesiam, Misniam & Boiorum habitabant regna, cujus manifesta etiamnum permanent monumenta, ut *Gotta* in Silesia, & *Misnia* civitates: item *Guttenbergh* & *Guttensteyn* non ignota per Bohemiam castra *d*, donec Francorum pressi injuriis, ad Istri fluenta rediissent *e*, atque in Dacia, quam hodie Transylvaniam Hungariæ & Valachiam nominant, paulo ante Alexandri Magni tempora consedissent *f*, nec ante Valentinianum atque Valentem Imperatorem defeceruerunt, ad annum reparatæ salutis circiter quadringentesimum. Quo toto tempore suis se tutabantur viribus *g* etiam contra ipsum Alexandrum Magnum, cum ad ipsum excurrisset Danubium. Memoraturque

Gothorum ex Scandinavia in Continentem Peregrinationes.

a *Dom. Mar. Geogr. Comm. lib. 2.*

b *Ant. Bonfin. Rer. Hun. Decant. l. 1. & 2.*

c *Confer. Appian. Alex. l. 2.*

d *Laz. de Migr. Gent. l. 10.*

e *Strab. lib. 7. Geogr.*

f *Arrian. Nicom. in Hist. Alex. M. Steph. Bizantius de Urbibus & Dionys. in sua Geogr. carm.*

g *Flav. Vopisc. in Aurelian.*

turq; ibidem ex Gothis ortas Amazonas & sæpius fortissimè pugnasse *a*. Constans hæc Gothorum fuit sedes ad *Hermanarchũ* usq; Regem, qui hic ultimus imperavit. Urgente. mox *Balanbero* Hunnorum Rege, relictis quibusdam in consvetis sedibus, reliqua pars, *Fridigerno* & *Alaricho* ducibus, Istrum trajecit, & à Valentiniano Imperatore in Thraciis recepta *b*. Sed ubi in his consvevissent finibus, Panoniarum fæcunditate illecti proximæ cuiq; primum inhiabant provinciæ. Trajecto inde Istro, cum latius popularentur singula, ad manus cum Boiis, inde cum ipsis venerunt Romanis *c*. Mox nata inter ipsos dissensione, cum intestinis studiis principum flagrarent animi, in duas itum partes *d*: quarum alteri *Fridigernus*, alteri præfuit *Alarichus*. Datæ à Valente Imp. suppetiæ Fridigerno. Victus Alarichus. Inde quia Fridigernus ad Occiduum Istri tractum cum suis abierat, *Westrogothi* dicti, reliqui, quia ad Ortum ejusdem manserant fluminis, *Ostrogothi* tùnc appellari ceperunt *e*. Multæ

a *Breviar. Theod. Juntori.*

b *Ammian. Marcel. l. 31.*

c *Trebel. Pollio. Sex. Aurelius Zonaras.*

d *Eutrop. lib. 12.*

e *Zonaras Tom. II. Ann. Sigebert. Gemblacẽsis Cenobita, in sua Chronographia. Trebell. Pollio. Scal. lib. 3. Can. Isag. Chron. p. 333.*

tæ inde cum Hunnis dissensiones, quas omnes restinxit Imperator Theodosius *a*, quem Gratianus in societatem Imperii asciverat. Athalaricus Thodosium Constantinopolim sequutus, ubi Imperatorem terrenum collaudasset Deum, rebus excessit humanis. Exequias ipse celebravit Imperator. Reliqua Athalarici manus, conspecta Principis benignitate, Imperio sese commisit *b*. Westrogothi interim Pannoniam occuparunt *c*, & Mæsiam *d*. Inde totius Illyrii facti domini *e* ad Adriam usque & Jonium profecti sunt sinum *f*. Quater mox petita Italia *g*, vicina inde Gallia *h*, atque ultimò Hispania *i*. Ex quibus, superatis maris Ægæi insulis, in Phrygiam quoque abierunt, teste Claudiano, Gens, in summa, cujus Regnum antiquissimum: quam ipse Alexander Magnus quondam vitandam dixit: pertinuit Pyrrhus: exhorruit Cæsar. *k* Ipsa

a *Ioan. Damasc. in Supplem. Eutropii. P. Ranz. Epit. Rer. Hung.* b *Marc. Zver. Box. Hist. Univer. p 333.* c *Hermannus Contractus Comes Veringensis in suo Chronic. mihi p. 144.* d *Laz. de Migr. Gent. l. 10. Seth. Calvis. p. 516. Sigonius.* e *Marian. Scotus Chr. l. 2. & 6. in Vita Fl. Claudii, mihi pag. 393.* f *Herm. Contr. Chr. p. 118. Christ. Ad. p. 108. in Syn. Besol. 166. & 366.* g *Regino. Chron. l. 1. Agathias.* h *Laz. l. 10. Herm. Contr. Chr. p. 115. Boxh. p. 333.* i *Marian. Scot. l. 2. & 6. in Vit. Honorii. p. 411.* k *Isidor Hispal. in Chron. f. Hist. Goth. p. 847. Paulus Orosius. M. Joh. de Thwrocz. Chron. Hung. c. 4. Alb. Krantz. Praef. Dan. & c. 1. l. 1. Hist. Suec. Sigebert. Gemblacensis Cenob. Chronograph. mihi p. 480. 481.*

Ipsa Scandinavia duo Arctoi orbis complectitur regna, Norvagiam & Sveciam, quæ in alias postea abeunt provincias *a*. *Norvagia* quondam dicta fuit Nerigon *b*. Alii Nortmanniam esse voluerunt *c*. Hodie vernaculo idiomate *Norrige* dicitur. Continetur inter 68. & 57. paralellos. Habitationes hic raræ, & quarum assamentis consurgunt parietes: tegumenta cespitum habent. Incolæ probi, sine fuco: inediæ, algoris laborisque patientes. Omnes sine fuco & exterorum amantes. In arte fabrili exercitatissimi; sed quibus non ulla gens alia convictibus indulget effusius atque hospitiis *d*. Regio ipsa suis felix mercibus. Pelles hic pretiosæ, aselli pisces, trabes, mali, pix, & quæ navibus conferunt ædificandis, item materia tectis plurima. Sveciam ad Occasum claudit, à qua montibus & amne ex iis profluente dividitur *e*. Regnum hodie Daniæ hæreditarium à duobus usque seculis, per connubium Reginæ Margaritæ cum Huquino indissolubili nexu unitum.

Scandinavia duo regna.

a *Stirnhielmius Dissert. de Gothis.*

Norvagicum.

b *Plin.*

c *Adam. Bren. & Craxtz.*

d *Fourn. p. 1. Geogr. Orb. Not. l. 2. cap. 8.*

e *Dom. Mar. Georg. Comm. l. 2.*

Svecia, quæ hodie vulgo dicitur, olim *Manheim* dicta *a* fuit ab incolis, non solum corpore, sed animo etiam *Viris b*. Indigenis est *Swenska*, *Swia*, & *Swea*. Cives ab exteris nuncupantur *Svedi*, exinde fortasse quod Sveonum hæc olim terra *Sweaod* dicta fuerit: *Od* enim Veteribus possessionem significabat *c*. Cæterum Sveciæ hoc Regnum, ut Scanzianæ memorant historiæ, Norvegico multo antiquius est, ut ex quo Danorum & Norvegianorum inde Regum natæ familiæ. Danorum siquidem Rex *Dan*, à quo *Daniam* dictam *d* non obscure suspicari licet, filius fuit Humeli, decimi sexti demum Regis Svecorum. Norvegii autem, priusquam ad suos deveniunt, viginti prius & quinque Sveciæ numerant reges, ex quibus *Haldanus Hwitben* suam nactus originem, & per maternum genus ex Solvone quodam Norvegiæ regulo natus, devictis exinde aliarum provinciarum regulis, primus Norvegicæ ditionis instituit Monarchiam *e*.

a *Svecicu Vetus Chron. Norvegorum p.* 8.

b *Marc. Zuer. Boxh. Hist. Universalis pag.* 223.

c *Joh. Messenius. cap.* 8. *Laurent. Petr. in Chr. MS. in princ.*

d *Wexon. Epit. Descr Svec. &c.*

e *Jonn. Martin Slangerup. in Chr. edit. a.* 1554.

Sve-

Sveciæ porro Regnum Orbis antiquissimum patria domesticaque venditat Chronologia, quæ *Scarinum*, gentis undevigesimum Regem, Abrahæ temporibus superiorem facit *a*. Sed quis credat fabulis *b*? Vera interim narratio est. primam Regum & gentis originem à Magogo cepisse, Noachi ex Iapeto nepote, & Amramo filio Semi: quorum filii *Sveno* & *Gethar*, Abnepotes Noachi, ab ostiis fluvii Tanais, per Finlandiam, transmisso Venedico & Bothnico sinu, in has Scandinaviæ venerant partes, iisque legibus inter se occupatæ regionis partes diviserunt, ut Cissilvana cederet Svenoni, Transilvanam vero Getharus sibi vendicarit *c*. Defuncto sine liberis Svenone, qui filius erat Magogi, frater ejus *Ubbo*, itidem Magogi filius, Ubsaliæ conditor *d*, in ejus successit partes. Huic extincto, post interregnum aliquot annorum, successit *Siggo*, qui meditullium sui contra transmarinos regni defensurus, condita ad littus *Sigtuma e*, ultimò Ubsaliæ, circa

a *Micrell. Synt. Hist. Pol lib. 3. Sect. 5: p:778.*

b *Fourn. Not. Orb. p. 1. l. 2. cap. 13.*

c *Wexionius Epit. Descript. Svec. Gothi &c. l. 9. c. 1.*

d *Joh. Magn. Gothus ejus Archiep. l. 1. Hist Goth. & Sveon.*

e *Joh. Magn. ibid. Zeill. Descr. Svec. pag. 129.*

circa tempora Abrahami *a*, ut ferunt, sepultus est. Eo sine liberis extincto, res universæ in Aristocratiam abiit, concesso in singulas regiones imperio Toparchis, aut, qui leges dicerent, judicibus. Mansisse hoc genus imperii ad quingentos inde annos apud Svecos, octo tantum Regibus inter Gothos imperantibus, scil Erico, Getharis filio, Uddone, Ochino s. Otheno, Carolo I. Biorno I. Getharo II. & Siggone II. multum hodie pareret difficultatis, nisi vivacitas ejus ætatis, ac climatis etiam salubritas, sub quo vitam ultra centum produci annos non infrequentia docent exempla, dignam evincerent fidem *b*. Qui Siggonem II. in Gothia excepit Ericus II *c*, aliis Bericus *d*, utriusque regni potens, ut patriam innumera hominum multitudine diu fatigatam relevaret, & metu gravioris annonæ, vocata ad se multitudine, primus in Ulmerugos, Curetes atque Livonos bellum persuasit *e*, tanta orationis vi, ut non viris tantum, sed & fæminis additus fuerit animus *f*, qua-

a *Micrell. Synt. Polit. lib. 3. Not. 5. pag. 778.*

b *Wexionius Epit. Descript. Sveciæ. &c.*

c *Joan: Gvalterius Chron. Chronicorum.*

d *Johann. Magnus.*

e *Micrell. p. 778.*

f *Wexionius. & Johan. Gualter. p. 511.*

quarum accessione Rugia & Ulmerugia primum occupatæ: mox & vicinis nova parata bella. Ejus filius *Humulphus*, alta contentus pace, ubi diu tranquille vixisset, filium reliquit *Humbleum*, magni nominis principem: ut qui ex quatuor filiorum suorum nominibus maxima postea designavit imperia, datis filio *Dano* Danis *a*. *Angulo* Anglis, & *Nor* Norvegis, ac *Gotila* Gothis relicto. Patre cum Pomeranis, Mechlenburgicis ac Curlandis occupato, Gothilas, ubi pacem domi externo prætulisset bello, quas ipse Danis ferre suppetias recusaverat, per amicos submittebat *b*. Defuncto Gothila, aliquantulum fuit interregnum. *Sigtrugus* Gothilæ Nepos occupaverat Sveciam. *Scaringus* suam voluit Gothiam. Ille, ab Ubsaliensibus edoctus Idolis *ab auro sibi plus quam ferro metuendum c*, contra Granium Daniæ Regem, filii *Groa* raptorem, pugnans cecidit *e*. Hic, post diuturnum ac felix domi imperium, audita Sigtrugi, consanguinei sui, morte, ne regnum in exterorum abiret

a *Joh. Isaac. Pont. Rer. Danic. lib.* 1. *p.* 11. *Ioan. Meurs. Hist. Dan. pag.* 1.

b *Wexion. Micralli*

c *Johan. Gvalter. p.* 512. *Albi Krantz.*

e *Sax. Gram. Hist. Dan. li.* 1. *p.* 9.

abiret manus, dum Gramo opponit exercitum, à juvene & vegeto adhuc homine, ipse senex & decrepitus, in monomachiam provocatus, multis licet dissuadentibus *a*, prostratus occubuit *b*. Utriusque sceleris vindicaturus in Dano injurias *Swibdagerus* Norvegiæ Rex, Svecos Gothosque ad regnum sibi deferendum obstrinxit: ipsumque Gramum morte, & sororem illius prostitutâ mulctavit pudicitiâ *c*. Potitus inde trium Imperiorum dominio *d*, mox ab Hadingo, alii Guthormo, altero Grami filio inopinanter peremptus occubuit *e*. Successit tamen imperio *Asmundus* Swibdageri filius, qui cum item ab Hadingo sine armis tutus esse non posset, se ei cum filio Henrico opposuit *f*, sed quorum non meliora, quam patris ob veneficia fata. Asmundi Uxor *Gunnilda*, de casu mariti certior; tenellulo succumbens dolori, voluntariam sibi ferro intulit mortem *g*: Hadingo autem ad extremum usque vitæ halitum Asmundi obversabatur præsentia *h*. Hinc *Uffo*, alter Asmundi filius, in patris

a *Albert. Krantz. Hist. Svec. lib.* 1. *Sax. Gram. Hist. Svec. lib.* 1.
b *Wexion. Epit. &c.*
c *Albert. Krantz. Hist. Svec. lib.* 1. *c.* 13.
d *Micrell. ibid.*
e *Albert. Krantz. Hist. Svec. lib.* 1. *c.* 14.
f *Micrell. ibid. pag.* 778.
g *Krantz. Hist. Svec. lib.* 1. *c.* 14. *Sax. Grã. Hist. Dan. l.* 1. *p.* 13.
h *Ioan. Is. Pont. Hist. Dan. p.* 16.

patris electus locum, ne inultam patris relinqueret necem *a*, quinquennali vastatione Daniam populatus est, ac diuturna obsidione & inaudita pressit inedia, donec ab eodem per insitatas oppressus ipse fraudes occubuit. Uffonem excepit tertius natu frater *Hundingus*, qui tam arctam cum Danis coluit amicitiam, ut, nequisquam forte credat, neúter Regum alteri superstes esse voluerit *b*. Svecus enim audita, per falsam narrationem *c*, Hadingi Danorum Regis morte, in dolio mellei se potus suffocavit *d*, Danus autem, ad veriorem famam, laqueo sibi vitam finivit *e*. Extincto Hundingo, filius *Regnérus*, post intolerabiles Novercæ *Torildæ* in se & fratrem Toraldum injurias, quos à Regiæ sortis conditione in pastoritias casas regiam detrudere prolem impiæ nullum piaculum fuit fæminæ *f*, beneficio Suanhvitæ, Hadingi defuncti Danorum Regis filiæ, excitatus & suffultus in patrium successit solium *g*. Quod postea beneficium alia pensaturus be-

a *Sax. Gram. Hist. Svec. l. 1. p. 14. Alb. Krantz. Hist. Svec. l. 1. c. 15.*

b *Wexion.*

c *Sax. Gram. Hist. Svec. l. 1. p. 18.*

d *Alb. Krantz. Hist. Svec. l. 1. c. 16. & Hist. Dan. lib. 1. cap. 6.*

e *Meurs. p. 6. Joh. Pont. p. 16.*

f *Ian. Gu. alt. p. 514. Krantz. Hist. Svec. l. 1. c. 15.*

g *Wexion.*

nevolentia Principem filiam conjugâli sibi societate junxit *a*, atque inde Frothonem, Daniæ Regem, Levirum suum, à quo impetebatur, repressit *b*, multaque post pace usus tranquille obiit Upsaliæ *c*. Patrem excepit *Hothebrotus* totius populi adjutus suffragiis. Princeps magni animi & multis in hostes victoriis clarus. Subjugatis Russis, & Estonibus in pacis leges coactis, aliisque Orientalibus devictis Barbaris *d*. Gritham Norvegię Regis filiam duxit Uxorem *e*. Roë Daniæ Regem, quod Clientis nomen sibi extorquere vellet *f*, quasi Danorum beneficio, matrisq; nomine, Regnum obtineret, tertio superavit bello *g* & occidit. Daniam occupavit, tributariamq; fecit ac imperium ipsum ad usq; fluvium Albim extendit & Tanaim. Rebellante inde Helgone, qui in Roë fratris locum successerat apud Danos, aliisque deficientibus, cum maritimam accelerararet profectionem, cum classe naufragio vitam finiit *h*. Huic successit filius natu major *Attilus*, à Gevaro Nor-

a *Krantz. Hist. Svec. l. 1. c. 17. Sax. Gram. Hist Svec.*
b *Joh. Isaac Pont. Rer. Dan. lib. 1.*
c *Joh. Gualt. Chr. Polit. p. 514.*
d *Joh. Gualt. Chr. Polit. pag. 514. Krantz. Hist. Svec. lib. 11. c. 8.*
e *Micrell. ibid.*
f *Joan. Meurs. Hist. Dan. lib. 1.*
g *Wexion. lib. 9.*
h *Joh. Gualt. p. 514. Krantz. l. 1. c. 18.*

Norvegiæ Rege principis in animum educatus. Uxorem habuit Ursiliam ex Danorum sanguine, & Svecorum nomini Regisque mariti fortunis infestam, ut quæ, clam ipso, cum regiis in Daniam aufugit thesauris *a*, quam ante pater sibi fecerat tributariam. Accedentibus adhuc Helgonis Dani opprobriis, ac omnibus apertam jam rebellionem molientibus, *Raiconem* quendam, ab impudicis moribus *canem* dictum, Danis præfecit *b*. Hoc autem ab aliis discerpto canibus, alium aliquem, qui præesset, pugilem submisit Laësum, eoque mortuo servum ejus pediculosum Snium præfecit *c*. Inde cum Rolvone Danorum Rege bella gessit, donec per Hiatvarum, consanguineum suum, eundem in Dania obtruncaret ex insidiis, sed qui postero statim die patratæ necis vindictam non effugit *d*. Successorem habuit *Gotherum* fratrem, ex Nanna Gevari Norvegorum Regis filia natum *e*, ante suum adhuc obitum, Daniæ Regem salutatum. In Regnum Daniæ Svecis junxit.

a *Hist. Svec. l.* 1. *cap.* 19.

b *Joh. Gothus*, & *Joh. Isaac. Pont. Hist. Dan. l.* 1. *NB.* negat hoc tamen Wormius Danus.

c *Micrell. Hist. Polit. l.* 3. *Sect.* 5. *p.* 779.

d *Joan. Meurs. Hist. Dan. lib.* 1.

e *Joh. Isaac. Pont. Hist. Dani lib.* 1.

Balderum Regis filium, primum ex Dania ejecit *a*, ac mox altera in expeditione etiam trucidavit *b*. Tandem in prælio adversus Boum Rhutenorum Principem fortiter pugnando ipse occubuit. Qui eum excepit filius fuit *Rodericus* cognomine *Slingeband*, ab infelici armillarum jactu ita dictus, quas in navem Ubbonis cujusdam pugilis, fortitudinis projecturus præmium, in profundo perdidit. Is Boo sive ejecto, sive mortuo (nam de rebus ab eo gestis, aut quamdiu imperaverit, altum apud authores silentium *c*) Daniam iterum recepit. Devictis Rhutenis, in Curetes, hodie Curlandos, movit *d*. Inde Vedenos, in littora irreptantes Svecica, fortissima repulit manu *e*. Rebellantes in Dania Horvendillum, Fengonem & Amletum in tributarias coegit conditiones *f*, sed data prius Horvendillo Giraita in matrimonium filia. Proximus huic fuit *Attilas II* Roderici filius, qui gestis multis gravibusque ad Ortum bellis, ac nonnullis etiam in obsequium pertractis, difficilius bel-

a *Joan. Meurs. Hist. Dan. lib. 1.*
b *Micrell. Hist. Pol. l. 3. Sect. 5.*
Sax. Gram. Hist. Dan. lib. 3.
Krantz. Hist. Sv. l. 1. c. 21.
c *Joan. Meurs. Hist. Dan. lib. 1.*
d *Micrell. Hist. Polit. l. 3. Sect. 5. p. 779.*
e *Wexion. Epit. Descr. Svec. lib. 9.*
f *Joh. Gualt. Hist. Polit. p. 514.*

bellum cum Danis habuit, exinde quod Wermundus Regni præfectus, ad bellum, quam tributum propensior, solitam Svecis negaret pensionem, vel quod Daniæ Regnum injusto usurparet titulo. Magna hic Principis virtus, quod Frovinum, summum illum athletam Ducem Slesvicensem, propria manu prostraverit, ac Wermundum ipsum in leges pellexerit tributi. Sed brevis hæc victoria. Favorini siquidem filii, paternam ulturi necem, Attilam interfecerunt *a*. Infelicior Regni successus ex proximo *Botolpho* Attilæ filio, vel ut alii volunt, Nepote, ut qui, sicut ab armis imparatus erat homo, ita ignavus simul atque crudelis solio dejectus, ad Curetes profugus abiit primum: mox, invalescentibus in Svecos Ruthenis ac Danis, domum revocatus, cum meditari videretur frugem, præmaturè obiit. Hunc excepit *Carolus II* Botolphi Nepos, qui infortunati patris memor successus, patrem se magis patriæ, quam Sveciæ Regem gessit. Unde latis bonis

a *Joan. Meurs. Hist. Dan. lib. 1.*

nis legibus, Legiſlatoris nomen accepit, ac in ſumma multus pace ad ultimam felix vixit ſenectutem. Geſto contra hoſtes bello, Tordonem Norvagiæ ſatrapam, generum ſuum, propter illatas uxori injurias, acie fugavit, ac mox manibus ſuis interfecit. Poſt aliquod temporis interſtitium excepit eum *Grimmerus*, non uſque adeo optimæ exiſtimationis princeps. Homo impius. Bellua potius, quam homo, nedum Rex *a.* Sacrilegus, ſcurra & Pantomimus. Upſalienſi templo omnes detraxit theſauros: populum intolerabilibus exhauſit tributis: tandem in bello contra Eſtones & Curetes à ſuis deſtitutus, atque ab hoſtibus captus, qui Deos auro ſpoliavit ſuos, meruit qui ex ferrea ſuſpenderetur catena *b.* Habuit tamen, qui proxime ſuccederet, filium *Tordonem*, egregium principem, diſſimilem patri & virtutibus juxta probiorem, atque exinde fortunatum magis, magiſque bello felicem. Is inter prima ſtatim regni initia plus Svecorum adjeciſſet

a *Gualt. Hiſt. Polit. pag.* 517.

b *Wexion. Epit. Deſcr. Svec. lib.* 9.

jeciſſet nomini, niſi publicum in patrem odium ſuis obſtitiſſet conatibus. Ultimis tamen virtutibus, quibus Ulmericos primum devicit atque Curetes, fugatoque ultimum Saxone, patris ſui penitus abolevit infamiam *a*. Exitus in incerto eſt. Excepit hunc *Gotharus I* Tordonis ex fratre nepos, princeps per omnia fortunatus, adeo ut à multis credatur primus Sveoniæ aureum reduxiſſe ſeculum. Frothonem II Daniæ Regem, Frogerti ſoceri ſui, Norvegiæ regi doloſum *b*, (ſingulari tamen certamine *c*) interfectorem ulturus ultimo privavit halitu. Hoſtis ſui filium Danum III Danis præfecit, quem ſimul contra Saxones ſtrenua vindicavit manu. Sequutus inde patrem *Adolphus*, qui Danum Regem Danorum, paterni immemorem beneficii, primum invenit hoſtem, ſed quem juxta ita ingratitudinis admonuit, ut in ipſo ætatis flore *d* mature didicerit, quantum fuerit acceptum male penſaſſe beneficium. Siquidem Saxonum & Vandalorum

a *Joh. Gualter.*

b *Johan. Meurſ. Hiſt. Dan. lib.* 1.

c *Joh. Iſaac. Pont. Hiſt. Dan. l.* 1. *p.* 21.

d *Johan. Meurſ. Hiſt. Dan. l.* 1. *p.* 18.

ſubnixum viribus, quós ante tributum petentes, in ipſas tributi leges coegerat a, atque apertam ſeditionem molientem ingenti fudit prælio. Teſtonem motuum authorem morte mulctavit, ipſumque Danum in obſequii rationem redegit: tributum imperavit, atque ad ipſam coëgit modeſtam. Proximus huic fuit *Algotus* Anteceſſoris ſui vel, ex quocunque ordine, nepos, vel, ut aliis placet, conſanguineus, hiſtoria enim hujus temporis multum eſt incerta b, quidquid ſit, de concordia magis quam bello ſollicitus, altam dum coleret pacem, Princeps dici Bonus, quam Magnus mereri maluit, par cæterùm optimis Principibus. Qui hunc excepit fuit *Ericus* II, ejuſdem Algothi filius. Hic patrio non contentus imperio, avitam gentis ſuæ vindicaturus injuriam, converſo ad ortum bello Eſtones invaſit. Curetibuſque novum faceſſens negotium duplicibus ſe non infelix immiſcuit armis. Domeſticis revocatus ſeditionibus, ubi omnia prudentiſſimè compoſuiſſet, ipſe in Weſtro-

a *Sax. Gramm. Hiſt. Dan. l.* 4. *p.* 60.

b *Krantz. Hiſt. Svec. l.* 1. *c.* 36. *Les Eſtats, Empir. & Princip. du Mond. mihi pag.* 574.

Weſtrogothia mortuus, regium in morem ſepulturæ datus eſt. Defuncto patri ſucceſſit filius *Lindormus*, vel uti alii malunt, *Lindorus*, qui, utut patre infelicior, Ruſſos tamen compeſcuit. Danis ob rebellionem, Duce Fridlevio Suare h e. Celere *a*, infeſtior, parum profecit, quod gravioribus innixi vicinis & amicis bellum ſibi eſſet difficilius *b*. Poſt mortem Lindormi cum filius *Alaricus* I Svecorum adiret regnum, *Geſtilius*, vel *Geſtiblindus* *c*, ex antiquo Gothiæ ſangvine oriundus, à Gothis Rex eligitur. Inde inter diviſas bellum gentes. Ceſſit victoria Geſtilio, quod à *Frotono III* Danorum Rege *d*, adjutus eſſet, vel Erico Norvego, qui ipſi antea cum fratre Rollero ſubſidium adduxerat, & quondam Alarici filium in monomachia peremerat *e*. Moribundus Geſtilius Gothicum juxta atque Svecicum imperium reliquit *Erico* illi Norvego cognomine *Diſerto*, qui inter maximas fortunas, hoc nomine potiſſimum felix, quod tempore ſui apud Svecos

a *Sax. Gram. Hiſt. Dan. l.* 4. *p* 60.
b *Joan. Meurſ. Hiſt Dan. l.* 1. *p.* 16.
c *Alb.* Krantz. *Hiſt. Suec. lib.* 1. *p.* 225.
d Krantz. *Hiſt. Suec. lib.* 1. *p.* 225.
e Krantz. *ibid.*

imperii natus sit Christus Dominus cum compositis undique bellis communem per totum terrarum orbem pacem cum suis etiam coluisset hostibus *a*. Heros cæterum ingenio, lingua & manu promptus. *Fronthonem III* Daniæ Regem eloquentia, tergeminos in Dania fratres Grepas, viribus plus satis potentes cum patre Vestaro, manu superavit: Matrem eorum Gotvaram linguæ fœminam procacissimæ, ita prudentibus emollivit responsis, ut auro victorem donare sustineret. Sublato è vivis Erico, filii ejus *Haldanus I* & *Gethricus*, divisis inter se regnis imperabant. Ille in Svecia *b*, hic in Gothia. Ille, auxiliis usus Ruthenorum & Fridlevi Dani, Norvegios repressit hostes; sed qui à proceribus inde peremptus obiit. Hic arma transmarinis intulit populis, & si fides est, propagatis late victoriis tum Pictis in Scotia, tum Switzeris suam per Helvetiam dedit originem *c*. Filius Gethrici *Vilmerus*, conversis in Russos viribus ad Tanaim usque pervenit. Hujus filius

a *Krantz. l. 1. Hist. Svec.*

b *Krantz. Hist. Svec. lib. 1. cap. 40.*

c *Joh. Magnus.*

filius *Nordianus*, ab Hervito Ruthenorum ac Scytharum rege pulsus, Russia postea cessit. Hæc dum per Gethrici familiam geruntur foris, domi in Suecia imperabat *Sivardus* I Haldani filius, sed cui, ob perspectam patris severitatem, ad Regni culmen nisi summâ cum difficultate assurgere licuit. Vicit tamen authoritas Helsingici pugilis, jam à temporibus usque avi Gothrici, rebus per orbem gestis celeberrimi, ea lege, ne paternæ cædis unquam memor esset. Fuit autem is *Stracherus* aliis Starckharterus *a*, monstrum fortitudinis *b*, cujus non secus atque Tyrsæi cujusdam incentiva ad virtutem extant carmina, latine ex Suecico eleganter versa, ante quadringentos annos *c*, à Saxone Grammatico *d*. Cæterum ipse Sivardus ab Haldano, Frothonis nepote, quod suspectus esset, quasi conscius cædis Haraldi, hujus genitoris, confossus periit. Sivardum excepit *Ericus* IV ex Uvildæ filia nepos. Huic prima fuit cura paternam ulcisci mortem. Unde in Haraldum & contra Danos bel-

a *Sax. Gram. Hist. Dan. l.* 6. *p.* 92.
b *M. Henricus Soterus in Ser. Reg. Svec. Sax. Gram. Hist. Dan. lib.* 8. *Alb. Krantz. Hist. Svec. l.* 1. *p.* 227.
c *Andr. Bur. Descr. Sveciæ p.* 167.
d *In Hist. Dan. l.* 8. *p.* 135.

a *Krantz. Hist. Svec. lib. 1. p. 228.* lum *a*. Hostem aggressus, tertium victor obtruncat. Quod frater Haraldi Haldanus ægre ferens, Ericum in locum insidiis plenum protraxit *b*, data tamen vitæ conditione, si se agnosceret superiorem *c*. At Ericus oblatam ab hoste vitam magno cum animo contempsit, in libertate mori malens, quam servili in conditione abjectum trahere animum *d*. Paruit inde Svecia *Haldano* II Caroli Gothorum Regis ex filia nepoti, Viro multis modis armis innutrito. Quod patris & avi necem acriter vindicasset, Sveciæ proceribus Regno non indignus judicabatur. Cum agnato Gothorum Rege fidam coluit amicitiam. Infestantes maria piratas domuit *e*. Duces eorum Amundum *f* & Tochonem cum universo delevit comitatu *g*. Sivaldum illustri in Svecia loco natum cum septem tumultuantem filiis occidit. Hunc excepit *Unguinus*, testamento Haldani Rex Sveciæ designatus *h*. Rex alias Gothorum, qui cum Haldano sanguine sibi conjuncto haud interruptum coluit fœdus.

b *Sax. Gram. Hist. Dan. lib. 7. p. 110.*
c *Krantz. Hist. Svec. lib. 1. p. 128.*
d *Idem. ibid.*
e *Krantz. lib. 1. p. 229.*
f *Joan. Meurs. lib. 2. p. 26.*
g *Pont. Hist. Dan. lib. 1. p. 28.*
h *Krantz. Hist. Svec. lib. 1. p. 229.*

Trien-

Triennio tranquillus præfuit Svecis *a*. Inde cum procerum quidam Regis metuerent potentiam, ac Regnaldum quondam, non ignobili natum loco in Regem elegissent, Unguinus, deficientibus ob ætatem viribus, atque inopinato consternatus casu, acerbitate doloris multam principis viri finiit vitam *b*. Proximus huic fuit *Regnaldus*, ex Svecorum natus origine: Is magnis viribus ad tuendam patriæ contendebat libertatem *c*. Sed à Sivaldo, Unguini filio triduano victus prælio *d* è medio sublatus obiit. Patri Regnaldo successit filius *Amundus*, qui privato deditus otio, publicas curas filio primogenito plerumque mandabat *e*. Filios habuit quatuor Hachonem, Hagbertum, Helvinum & Amundum, qui vivo patre grave omnes bellum gesserunt contra Algerum & Alphum Sigari Regis Daniæ filios *f*. Ex his Hagbertus furtivis, quod Signæ Signi Regis filiæ amoribus potitus esset, ad furcam damnatus est. Signa se ipsam jugulavit. Helvinus & Amundus in acie cæsi. *Hacho* patri suc-

- a *Micrall. Hist. pol. lib. 3. S. 5. Cap. 45.*
- b *Idem.*
- c Krantz. *Hist. Svec. lib. 1. cap. 4.*
- d *Idem. ibid. Sax. Gram. Hist. Dan. lib. 7.*
- e *Joh. Gualt. p. 521.*
- f Krantz. *Hist. Svec. l. 1. c. 45. Joh. Isaac. Pont. Hist. Dan. lib. 1. p. 29. Joh. Meursi. Hist. Dan. p. 27. l. 2. Sax. Gramm. Hist. Dan. lib. 1. & 7.*

succeſſit in regno. Facta expeditione in Hyberniam, redux bellum Sigaro fecit Danorum Regi, ulturus & cladem duorum in acie fratrum, & ignominioſum Hagberti ſuſpendium *a*. In hoc, excubitoribus Danorum per ſylveſtres deluſis ramos *b*, Regem ipſum impavida manu arma opponentem interemit *c*. Reliqua clades tanta fuit, ut Regii ex Svecia ſanguinis ſtemma ad unicam ſuperſtitem fæminam pervenerit *d*. In Sveciam redux Sivardum Gothiæ Regem in bello cecîdit, cujus filia Avilda primum virgo modeſtiſſima, mox fortiſſima virago Alphum Daniæ Regis filium armis imminentem excepit, ſagittis ac ferro repulit, ultimo maſculo ejuſdem amori cedens, novam Daniæ Regum progeniem dedit. Succeſſor Haconis *Ingo ſ. Ingolphus*, ſceptris paternis juſta ac legitima potitus ſucceſſione, fratribus Olao atque Ingello patrias ſecrevit ditiones, ipſe totius regni jura moderaturus *e*. Bellum geſſit infelix contra Danos, quorum Rex Haraldus a luſco

a *Krantz. lib. 1. cap. 4.*
b *Wexion.*
c *Ioan. Meurſ. Hiſt. Dan. lib. 2. pag. 17. Pont. lib. 1. pag. 29. Krantz Hiſt. Svec. lib. 1. cap. 47.*
d *Krantz. ibid. Sax. Gr. lib. 7. Hiſt Dan: lib. 1. p. 27. 28.*
e *Alb. Krantz. Hiſt. Svec. lib. 2. cap. 18.*

sco quodam spectro, quod Ochinum sese prædicabat, de futuri belli eventu edoctus, simul præscriptam ab eodem acierum structuram sequutus, Ingonem cum fratre Olao peremit *a*. Post superstes natu minimus regnum occupavit. *Ingellus b*, qui rapta Haraldi germana & bellum & pacem mox fecit. Sequuti inde Reges in Svecia *Nearchus*, qui, ubi summa cum laude suis præfuisset civibus, brevi obiit. Hunc excepit *Frotho* Ingonis filius. Is ob maximam in Deum pietatem, cum novum Upsaliæ condidisset templum, meritus est ut mortuus inter Deos referretur. Excepit hunc *Urbanus* à proceribus electus, optimis miles moribus. Jnde *Ostanus*, in patris suffectus locum, Regnaldum Norvegiæ regem evertit, qui fratrem ejus Nardianum structis necaverat insidiis, & filiam ejus *Drotham*, in subterraneis repertam latebris, uxorem duxit. Divisa hinc regna in Gothicum & Svevicum. In Svecia Ostamum sequutus est *Attilus*. In Gothia *Fiolmus*. Homo gulæ & luxui deditus

a *Sax. Gram. Hist. Dani lib.7.*
b *Krantz. Hist. Svec. lib.2 c.19. Sax.li.7.*

tus

tus, adminiſtris ſuis nimis familiaris cum ſolito more, noctem cum illis potando duceret, ſive ludibrio, ſive caſu, aut per luſum in dolium cereali plenum liquore præcipitatus interiit. Probior patre *Svercherus*, corporis robore inſignis: multa laude digna gerere equo delapſus præmatura prohibitus morte. Ejus filius *Valander* conjugem habuit Duram Svionis Fennorum Regis filiam, ex qua habuit filium Visburum. Is per decennium in bellis contra Danos occupatus, ut ut ſæpius ab uxore moneretur, miſſo domum filio, ipſe non rediit: opera veneficæ cujuſdam Huldæ cum incubo concubens à Dæmone ſuffocatus perhibetur. Extinctum patrem ſequutus eſt filius *Visburus* in ſocordia & tyrannide patri haud abſimilis: quod patricio non parceret ſanguini, cum ad libitum purpuratis ſuis in opulentiores quoſvis impune graſſari permitteret, bonis exoſus omnibus, à filiis everſus eſt. Poſt illum præfuit *Domalder* qui, urgente famis neceſſitate, quod

quod ſubtractum populo frumentum, equis apponeret ſuis, epidemici mali avertendi gratia, Cereri Deæ publicè immolatus *a*, publicis flammis periit *b*. Succeſſit huic ſive filius, ſive nepos *Domarus*; ſed & is à ſuis contemptus brevis fuit imperii *c*, regnumque Gothicum in manus reſignavit Dageri Regis Svecorum. Poſt cujus obitum, cum *Oſtenus* ſine liberis expiraſſet, regnum ceſſit *Attilo*, Viro contra Danos fortiſſimo. Attilum excepit *Dignerus* Oſteni ex ſorore nepos & Domari Gothorum Regis filius natu maximus. Is primus fuit, qui apud gentem ſuam *Konung* h.e. Rex ſalutari meruit, cum alii omnes ante *Drotter* tantum dici fuerint ſoliti *d*. Princeps alias civibus ſuis, quam purpuratorum aulicorum libidini melior. Hujus filius *Dagerus*, Vir prudens & in hoſtem fortis iterum utrumque conjunxit regnum. Pirata Ruthenico Rethone devicto, tributum imperavit Ruthenis. Subjectis inde Danis amicis minimum confiſus in

a *Iohann Gvalter. p.223.*

b *Ioh. Loccen. Antiq. Sveo Goth. cap. 3. p. 15.*

c *Andr. Bure.*

d *Ioh. Loccen. Ant. Sv.c. Goth. Goth. lib. 2. c. 1.*

in Iuthia ex insidiis periit *a*. Suffectus patri *Alaricus*, Krantzio *Alverus a*, in idem contra Ruthenos bellum incubuit: negantes tributum in ordinem redegit. Huic successit *Ingemarus*, qui patrem avumque imitatus Ruthenos sub jugo habuit. Indixerat postea Danis quoque bellum, sed quod praevenit nefarium Reginae consilium Dano Regi cognatione junctae: animosus siquidem princeps vel per submissos periit sicarios, vel ex summa trabe aurea suspensus catena *b*. Ipsa viva defossa *c*. Frater illius *Ingellus* Rex à Svecis proclamatus, suscepta in Danos promovit arma, iisque Haraldum Daniae Regem terrestri & navali praelio superavit. Sororem illius Beram, non volente fratre ductam, sed raptu cognitam, ac diuturno postea repetitam bello, ejusdemque jure defensam legitimis uxorem duxit nuptiis *d*. Sed quae impudicis suis inde effecit moribus, quod Rex maritus inter exprobrantia vitium verba per multas à fratre injurias interemptus sit. Successit

a *Krantz. Hist. Svec. lib. 1. cap. 48. Krantz. ibid.*

b *Ioh. Gualt.*

c *Micrell. lib. 3. sect. 5. p. 783.*

d *Alb. Krantz. Hist. Suec. lib. 2. c. 19.*

cessit tamen filius *Germundus* I. Multa hic Danis facessit negotia; sed à quibus, cum ad ultimas eos redegisset incitas, contra fidem perfide datam strangulatus misere periit *a*. Excepit hunc filius *Haquinus*, aliis *Ringo b*, puer admodum, & non viribus tam suis, quam Avunculi sui, Danorum Regis, Haraldi armis securus. Invalescentibus inde annis, perfidam patris vindicaturus necem bellum eidem indicit, missi & ab Haraldo qui inimicitiarum mandata perferrent palam *c*. Tantus fuit ingruentis belli apparatus, ut toto Reges septennio exercendis præluderent viribus, auxiliis colligendis, parandis armis, & instruendis navibus *d*. Datus prælio locus ad Calmariam *e* Sueciæ Urbem. Orationes utriusque ad suos principis præclaræ. Pugna tanta, ut præter Haraldum, Daniæ Regem, aliosque ex grege milites, & partibus Danorum triginta Ducum millia ceciderint, ex partibus autem Svecorum Ducum millia duodecim *f*. Victor Ringo regium cadaver procerumque

a *Wexion.*
b *Alb. Krantz. lib. 2. p. 20.*
c *Sax. Gram. Hist. Dan. l. 7. p. 130.*
d *Alb. Krantz. Hist. Svec. l. 2. c. 20.*
e *Ioan. Meurs. Hist Dan. l. 2. p. 29.*
f *Ioh. Isaac. Pon Hist. Dan. lib. 1. p. 31 Sax. Gram. l. 8. Stercoterus.*

a Alb. Krantz. l. 2. c. 21. b Joan. Meurs. l. 2. c Sax. Gram. l. 8. d Joan. Meurs. ibid. e Joh. Isaac. Pont. l. 1. p. 31. f Joh. Meurs. l. 2. Alb. Krantz. l. 2. c. 21. Sax. Gram. l. 8. p. 133. Ioh. Isaac. Pont. l. 1. g Ioh. Gualt. p. 524.

que ad funera dimittit *a*. Haraldum Lethram deportari jubet *b*. Compositis inde rebus, Scaniam, avulsam Daniæ, regno adjungit Sveciæ, & Olonem Consobrinum dat præfectum *c*, Hetham vero Sialandiæ præponit ac Fioniæ, nescio an contumeliam genti inurens quod fæmineo digna videretur imperio, an ut Rex parentationis genere, Danorum sibi favorem, ita conciliaret, quod illustrem fæminam *d*, ac Danis gratam, ipsi exoraverint *e*. Sed hanc postea removit Olo Rex Daniæ, quem iterum in balneo sustulit Stercaterus, duodecim procerum conjuratione inductus, & pretio centum viginti quinq; librarum puri pellectus auri *f*. Ringonem excepit filius *Egillus* octies in prælio contra Omundum Danum infelix, ob defectionem Thunonis præfecti sui: in nono ultimum superatus. Quod strenuus esset justitiæ cultor proceribus infestus suis, furioso à quibusdam objectus tauro mortuus *g*. Proximus huic successor fuit *Gotharus* filius, quibusdam *Hotherus*.

Is

Is majorum suorum bellis finem cum Dano positurus, ubi Sivardi Regis germanam in matrimonium impetrasset, novam belli invenit materiam. Siquidem per Ebbonem legatum suum jam eam ablaturus, cum intellexisset hospitis cujusdam structa in eum machinamenta, atque eadem sinistrè à Sivardo subordinata interpretatus fuisset *a*, magno cum apparatu Regem aggressus, ultima clade prostravit *b*, Hallandiam, Scaniam atque Sialandiam per suos gubernavit. His sane temporibus Starchaterus prolixa jam defessus ætate, cum castrorum stipendiis, & gladiatorio emeritus munere haberetur, ne, vitio senii, pristinum gloriæ amitteret decus, egregium putabat, si voluntarium sibi conscisceret exitum, ac propria fatum accelerasset manu *c*; verum ignobile ratus incruenta defungi morte qui toties excellentes ediderat pugnas, cum & corpore invalido, & deficientibus perspicuitate luminibus esset, diuturnioris vitæ moram perosus, emendi in se percussoris gra-

a *Ioh. Isaac. Pont. l. 1. p. 331*

b *Iohan. Meurs. l. 2. p. 31.*

c *Saxo Gram. Hist. Dan. l. 8. p. 135.*

gratia, aurum, quod pro Olonis interfectione meruerat, collo appensum gerebat, non ullo unquam aptius modo violatæ se majestatis injuriam expiaturum existimans, quàm si idem suæ, quod Olonianæ necis extiterat, præmium effecisset, aurumque quod pro aliena tulerat clade propriæ damno salutis impendisset *a*. Itaque gemino cinctus ense, totidemque baculorum adminiculo, vacua virium tutabatur vestigia. Hunc Haterus, in venatione agens, cum dubiè conspectum agnovisset *b*, præmissis duobus ex comitibus qui viso seni præriperent viam, ipse sequebatur lentius. Comites cum Starcarterus baculo prostrasset *c*, ipse subvenit Haterus, agnitumque senem, sed ab eo minime recognitus, rogat senem, cur gemino senex succinctus incederet gladio, cum sit neuter usui *d*, vel an gladium vehiculo permutare vellet *e*? Tum senior: Olim inquit ab irrisoribus solitas exigebam pænas, nec unquam impunè mihi à procacibus insultatum: núnc

a *Idem ibid.*

b *Albt Krantz.* *l. 2. c. 22.*

c *Joh. Isaac. Pont. Dan. l. 1*

d *Alb. Krantz. l. 2. c. 22.*

e *Sax. Gramm. l. 8. p. 135.*

nunc se juvenum patere cachinnis *a*. Ex mutuis inde colloquiis cum cognovisset Haterum, feriendum ei jugulum præbuit, hortatus ne patris sui interfectori parceret. Hoc facientem auro, quod ob necem regis acceperat potiturum promittit. Atque hæc dicens projecto ense, pronam simul cervicem applicuit, præfatus, quod si, peracta cæde, ante cadaveris lapsum, caput ac truncum medius intersiliret, armis fore insuperabilem. Haterus autem tam fruendi æris, quam paternæ ultionis avidus, obsecuturum se precibus, nec præmia repulsurum spopondit. Sed percussor promissis fraudem subesse veritus, saltu non incautus abstinuit. Hic exitus monstrosi fuit hominis, cujus olim dentem crassitudinis duodecim pollicum fuisse memorant nostri etiam seculi authores *b*. Haterus ducta inde Omundi Danorum Regis filia, pacem cum Danis sanxit *c*. Tandem à Fastone fratre, ob trucidatum Sionem Virum illustrem, stupri sorori Regis illati falso incusa-

a *Iidem citatis locis.*

b *Joh. Isaac. Pont. Hist. Dan. l. 1. p. 33.*

c *Alb. Krantz. l. 2. c. 23.*

cuſatum, vel inter natum de legum ſeveritáte jurgium, occiſus eſt. Sequutus inde *Faſto* ab imminentibus patriam hoſtibus liberavit. Quamdiu imperaverit incertum eſt. Legitur ſceptrum *Gudmundo* tradidiſſe filio : cui poſtea ſubornatus eſt *Adelus* trucidati Gothari ditiſſimus filius, vel nepos, qui Jarmericum Danorum & Olaum Norvegorum regem ſuperavit, mox Dianæ, vel Diſæ, ſacra facturus, equo prolapſus interiit. Illlum excepit *Oſtanus* II filius. Princeps avarus & luxurioſus, atque hinc propter graves inviſus exactiones, vino ſomnoque ſepultus, immiſſo in ædes igne, cum ſua periit familia: cineres in profluentem ſparſi. Imperavit inde *Ingemarus* II Oſtani filius, parte multum felicior. Is bellum intulit Danis, Ruthenos laceſſivit frequens, & Curetes ſubjugavit atque Æſtios. Defuncto Ingemaro recens in Gothiam & Sueciam diviſio. *Illi* præfuit *Holſtanus* Ingemari filius: *hanc* occupavit *Biorno* II, qui ducta Holſtani filia,

filia, ac defuncto inde Socero utrumque conjunxit regnum. Inde regni habenas tenuit *Regnaldus* Biornonis II filius, Sveciæ, Gothiæ atque Daniæ regnis felicior, quam administratione imperiorum. Siquidem matris raptum continuo apud animum revolvens suum, ita Danis fuit infensus, ut nihil truculentius habuerit. Exegit inde viginti & octo annorum imperium. Hinc tranquillè in Ostrogothia defunctus obiit, anno salutis 509. Patrem sequutus *Tordo II*, dum durius gentem tractat Danicam, illa tenacius cogitat libertatem: ac desperatis rebus omnibus authorem vocant Heroldum, antea ex Dania in Angliam relegatum. Cujus causam ubi Arcturus Britannorum Rex suscepisset, gravi bello, in rerum auspicia Gallis etiam vocatis, Svenones omnes & Gothi fugati: Dania Anglis subacta. Tordonem excepit filius *Rudolphus*, Regis titulo ac nomine magis in Svecia contentus, quam imperio: princeps alias ad omnem virtutis laudem factus. Is deposito sponte diademate, assum-

ptoque honestissimo comitatu, peregrinis maluit in terris honeste occupari, quam per animi molestias imperare domi. Inde ad sanguinis sui sobolem, Gothos in Italia tunc commorantes, se contulit. Petentibus post Herulis novum Regem *Hatinus*, à quo Regia olim sedes Hatuna dicta putatur, primo filium dedit *Uffonem*: eo defuncto submisit alterum, sibi cognominem *Hatinum*, eo fere tempore, quo Justinianus Imperator Romanarum conditor legum imperabat. Qui hunc sequutus est *Attilus* IV tutam incerto bello pacem præferens, tuendis magis quam proferendis studuit limitibus. Hoc defuncto successit *Tordo* III, cujus, quod brevis esset vita, nulla in historiis memorantur facinora. Proximus illi *Algotus* II in laudatissimis habendus regibus. Leges æquitatis quàm vigoris pleniores tulit. Mox, compositis rebus publicis, animum ad indaganda naturæ secreta, quæ in suppolaribus, ad Septentrionem, regionibus contineri dicebantur, applicuit: qua simul opera

Sa-

Satyros, hyperboreos ibidem incolas, in ſuam redegit poteſtatem. Imperio adhibitus inde *Oſtanus III*, vir nullo Regis ſanguine clarus, & juſto injuſtiſſimus: ob tyrannidis ſævitiam poſtea *Godſtagus* h. e. Bonorum raptor dictus, quod nemini quidquam præter vitam, idque clementiæ titulo, reliquerit. Homo ignavus, in hoſtes timidus; at in libidinem effuſus omnium. Nata inde diſſidia & offenſæ: quarum impatiens *Arthus*, Algothi filius, ab omnibus deſertum invaſit, atque ultimo extinxit ſuſpendio. Occupatum mox imperium magnis cumulavit laudibus, primamque regni maculam penitus extinxit. Compoſitis Gothorum Svecorumque domi rebus, feliciſſima in Ruſſos, Livones & Curetes arma tulit: inde metas ſui imperii Albim agnovit, & Albim Aulam tantæ habuit æſtimationis, ut felicem prædicarint, qui in eam admitti mereretur. Primus tres Coronas in Regni admiſit inſignia, & in Hanſeaticis Civitatibus ædes Regis ab ejuſdem appellatione, Arthu nomen

men obtinere dicuntur. Hunc excepit *Haquinus III* Ostani III filius, Princeps in hostes mitior, quam in suos: Unde exigua Viri laus domi, & foris nulla. Qui eum sequutus est, fuit *Carolus IV* successor Patris. Princeps vitæ brevis, atque inde non aliûs rei præclare gestæ apud scriptores memoria dignus, quam quod filium habuerit successorem ejusdem nominis *Carolum V* longevioris, quam pater, vitæ. Illi subiit *Birgerus*, in locum fratris successor; sed qui solo nomine historiam auget. Inde proximus fuit *Ericus V* prædecessoris filius: quod in subditos lenis, etiam laude dignissimus. Nata inde illa principi fælicitas quod & domi inter suos tutissimus, & foris apud hostem invictissimus. Unde splendidus illi in fastis locus, ob præclara ejus in rempublicam merita. Biornonis siquidem, quem Dani, ut ex vicinorum eluctarentur servitute, sibi præfecerant, omnes irritas fecit machinationes. Inde Svecis præfuit *Tordo*, seu *Torillus*, sordidæ mancipium avaritiæ,
omnes

omnes omnium opes, ad nudos usque parietes, omnibus eripiens: quo factum ut, urgente contra Danos necessitate, à suis desertus, ab Haraldo, Danorum Rege, imperio pariter atque vita privatus sit. Successit *Biorno III* patri substitutus circa annum, post natum Christum, septingentesimum sexagesimum quartum, adeo paci & tranquillæ deditus vitæ ut, toto imperii curriculo, nullum admiserit bellum. Ad idem exemplum postea imperavit successor filius *Alaricus III* cognomine pacificus. Gormoni Daniæ Regi filiam unicam Sigritham nuptum dedit. Ipse Upsaliæ placide obiit. Regnum reliquit filio *Biornoni II*, qui hoc satis fælix in imperio erat, quod ætas ejus in hæc inciderit tempora, quibus ex Germania Galliisque Christiana in Sveciam religio fæliciter migrare cæpit *a*, petitis ad id à Carolo Magno Episcopis, cui contra Gortricum Danorum regem fæderatus fuit. Primus hujus temporibus Lincopensis Ecclesiæ Episcopus fuit Herbertus, & Angarius

a *Joh. Loccenius Rer. Svec. Hist. pag. 1.*

garius, qui primus passim in Aquilone Euangelium concionatus, non flebilem Christo messem fecit *a*. Rex ipse Resonem Danorum Regis emissarium, amicitiæ & proximæ conjunctionis obtentu delegatum, & tanto imparem negotio, devoluto in dormientem saxo obtrivit *b*, vel, ut alii volunt, suspensis ad collum lapidibus, in mari publice submersit. Victis inde ob injuriam Svecis; Dani *Vulpeculæ* instituerunt *pensionem*, quæ sex auri librarum fuit facinoris auctoribus, reliquis conſciis unica tantum uncia imposita *c*: reliqui benignissime habiti. Successit inde cui gentile ante nomen fuit *Amundus*; sed qui potitus imperio, quod pacis ornamentis patrium ornaret imperium, ac cultu agrorum annonæque ubertate privatas cujusque augeret facultates, à succisis nemoribus *Brautzamundi* nomen accepit *d*. Natis inde inter ipsum & Sivardum fratrem de regno dissidiis, qui æmulus imperii ætatis prærogativa & virtutis opinione, regnum sibi deberi

a *Henr. Soterus Descr. Sveciæ p. 188. Ericus Rex Dan. de Orig. Gent. Dan. p. 66.*

b *Joh. Loccen. lib. 1. p. 1. Joh. Meurs. l. 2. p. 36.*

c *Sax. Gram. Hist. Dan. l. 8. p. 150. Johan. Meurs. lib. 2.*

d *Joh. Loccenius lib. 1. cap. 1.*

beri volebat. Vocatus in auxilium Norvegorum Rex Sivardus nequidquam Bratemundo profuit, ut qui in Nerikia victus provincia, vita pariter ac regno exutus periit *a*. Successit ergo *Sivardus* Victor, cognomine *Frous*. Is non contentus, post fraternam necem, paratam sibi ad imperium fecisse viam, Sivardum, Norvagiæ Regem, ob latam Brautamundo adversus se opem, in Norvegiam usque armis prosequutus est *b*. Conserta victor manu eundem internecioni dedit: Regnum suo adjecit. Felicibus elatior successibus, totum libidini permisit animum *c*. Vocatus in suppetias Regnerus Danorum Rex *d*. Armatæ & fæminarum acies, quas justa armaverat indignatio, & dolor ignominiæ vim passis illatæ. Factum insigni denique mulierium virtute, quod Frous à fæminis in acie oppressus occubuerit *e*. Excepit tamen patrem filius *Herotus* omnium votis suffectus. Vetus illi cum Danis controversia de limitaneo Scaniæ principatu *f*. Compositum negotium inter-

a *Joh. Loccen. lib. 1. cap. 1.*

b *Albert. Krantz Hist. Svec. l. 5. c. 1.*

c *Idem ibid. Joh. Loc. Hist. Svec. lib. 1. pag. 4.*

d *Johan. Meursi. Hist. Dani l. 2. p. 38.*

e *Albert. Krantz. Hist Svec. l. 5. c. 1. & Norv. l. 5. c. 8.*

f *Joh. Locc. l. 1. p. 6.*

interventu matrimonii inter Danum Regem Regnerum, & Thoram Heroti filiam, cui Scania dotis nomine data *a*; sed non prius quam periculum subjisset duorum draconum, qui in tutela erant virginis *b*, quos felicissime injectis confecit telis *c*. Defuncto Heroto ascitus est *Carolus VI*, quem alias *Sorlum* appellant Historiographi Dani, hoc est *Carolum d*; multis tamen ex proceribus Regnerum spectantibus, qui, cum pro Heroti regis filio Ingevallo initio regnum sumpsisse videretur, utrumque Sveciæ & Gothiæ regnum filio suo *Biornoni V*, & Herothi genero, peperit; sed qui infelix fuit princeps, exinde quod, qua ante nactus fuit imperium, eodem inglorio excessu delusus juxta amisit. Seqvutus *Ingevallus* s. *Ingellus II*. Hic adolescens cum ab Alpho Ingvardi, cum quo in lucta superatus fuerat, frequentibus sibi lachrymis temperare non posset, atque hoc mollioris animi judicium interpretarentur Curatores, ut ferox evaderet animi, à Suibdagero tostis

a *Albert. Krantz. Hist. Svec. lib. 1. c. 2.*
b *Sax. Gramm. Hist. Dan. l. 9. p. 153. Joh. Loc. Hist. Svec: lib. 1. p. 6.*
c *Albert. Krantz. Hist. Svec. l. 5. c. 2.*
d *Albert. Krantz. d. l. p. 303. Joh. Gualter. pag. 536.*

tostis luporum cordibus enutritos fuit. Regnum adeptum magnæ exercuere curæ, quod Biorno adhuc viveret, nec tacitæ iræ in apertum prorumpere bellum licuit, quod multi viverent qui ejus favebant partibus. Hinc consilia cum suis agitans, sive à proditoribus subornatus, sive, ut alii volunt, ultronea sponte pusillanimitate, subjectis involutus flammis periit. Proximus illum excepit *Olaus Tratelia* h.e. Arborum Cæsor. Hic principia regni habuit aspera; cum tribus tamen Regneri Daniæ filiis prospera perfecit bella: superavit & Gothos à tergo incursantes. Quod cives ad mandata promptiores haberet, imperatis remisit tributis: nutantem erexit rempublicam, ac tandem Vermelandiam, densis horrentem nemoribus in meliorem redegit faciem (unde ipsi nomen) multisque exstruxit colonis. Evectus inde in Regnum *Ingo* IV, Regneri Regis gener, filius Olai. Vir ad pacis studia animo proclivis. Tractum diu satis cum Danis bellum tranquille composuit, accepta in matrimonium

Regis illorum filia *a*; sed ne bello interim nata gens Svecorum & Gothorum inerti torpesceret otio, petulantiores composuit Russos, ditionibus eorum ferro flammisque pervagatus *b*. Instructa inde classe, Galliam, Britanniam, Hiberniam vicinasque regiones multa divexavit piratica: mox ultimas prætervectus Hispanias, ipsam prædis exercuit Constantipolim. Habuit successorem filium *Ericum* VI, cognomento *Ventosi pilei*, quod in quamcunque partem suum protenderet pileum, eò ob secundantem haberet ventum *c*, unde & *Magus* à qvibusdam appellatur. Causa electionis fuit, quod nihil arduum illi adversumque accidere arbitrarentur Sveci ut qui tempestates ad suum regere nutum posset *d*. Patris sequutus ingenium piraticis communem exercuit militem: unde domi rarus, & regni rebus minus intentus. Tandem domum redux ab Ostano quodam regii sanguinis per insidias trucidatus senex obiit *e*. Excepit hunc *Ericus* VII, quod perpetua in armis felicitate uteretur, *Victoriosus*. Hic nihil

a *Joan Meurs. Hist. Dan. lib. 2.*

b *Joh. Loccen. Hist. Svec. l. 1. p. 12. Sax. Gram. Hist. Dan. lib. 9. Alb. Krantz. Hist. Svec. lib. 5. c. 6. p. 305.*

c *Alb. Krantz. Hist. l. 5. cap. 6.*

d *Joh. Loccen. Hist. Svec lib. 1. p. 12.*

e *Alb. Krantz. lib. 5.*

nihil apud suos remissum, quietum nihil passus apud hostes fuit *a*. Fenningiam, Æstiam, Curlandiam, & Livoniam sibi subegit. Agnerum Regneri filium, in Anglia adverso militantem fato, ac mox Sveciæ regno materni sanguinis obtentu imminentem, Ostano depulit duce: Danos martimas negotiationes piratica infestantes repressit: cum Otthone Soxoniæ Duce, jam Imperatore facto, fœderis gratiam iniit. Svenonem Daniæ Regem regno ejecit, inque extremis Scotiæ latebris per septendecim annos, ad Erici usque obitum, exulare coegit. Regnavit exinde *Ericus* VIII cognomento Felix, fœlicior tamen quod Evangelii lucem admisit. Caussa assumpti Christianismi fuit Cæcitas sacrificuli cujusdam Idololatræ, qui, per somnum admonitus ut fidem in Christum admitteret, & pristinum recuperavit visum, & Regi simul magno ad imitamentum cessit exemplo *b*. Hunc excepit *Olaus* II *Tributarius*, ab indictis in usum Papæ collationibus, Stenchilli filius. Is toto nisu, nec sine succes-

a *Sax. Gram. Hist. Dan. l.* 9.

b *Alb. Krantz. Hist. Svec. l.* 5. *c.* 9.

ſu, publicæ indictam propagavit religionem *a*; à Sigfrido ex Anglia baptizatus, Sigfridi nomen accepit *b*. Hujus matrem duxit Sveno Daniarum rex, ex qua natus eſt Canutus dives *c*. Inde præfuit *Amundus* II, *Carbonarius* dictus, quod legem tuliſſet de incendenda parte domûs, aut totis ædibus delinquentis, pro noxa damnive dati portione *d*. Educatus fuit in Regia S. Olai Norvagiæ regis: audita cujus morte, ipſe præ dolore obiit *e*. Qui enim ſeqvutus eſt *Amundus* III, ex ignavia & imprudentia *Vilis* dictus, quod iniquæ limitum diſtinctioni ſubſcribendo, Scaniam, Bleckingiam & Hallandiam à Gothorum avulſerit regno. Ex qua poſtea limitum poſitura Canutus Rex Daniæ, Scaniæ ſuo vendicandi regno occaſionem ſumpſiſſe memoratur *f*. Regnavit inde *Haquinus* II à rubris capillis *Rufus*. Candidis princeps moribus. A Gothis in regnum deſignatus, cum à Svecis, penes quos ex lege Olai jus eligendi potius erat, antehabitus fuiſſet Stenhillus, ne novis motibus recens

a *Idem. ibib. c.* 10.
b *Johan. Loccen. l.* 1 *p.* 15.
c *Alb. Krantz. l.* 5. *c.* 10.
d *Johan. Loccen. l.* 1. *p.* 27.
e *Johan. Gualter. p.* 537.
f *Joh. Iſaac. Pont. Hiſt. Dan. l.* 5. *Joh. Meurſ. Hiſt. Dan. l.* 4, *p.* 58.

præ-

præberetur materia, neve unum unius tantum regni corpus plurium regeretur animis, ita cum Stenhillo egit, ut privatus suum expectaret obitum *a*. Cæterum optimus non tam Rex, quam pater. Sua pluscu-lus circumibat regna, & in præfectorum inquirebat mores, ac num cui ex subditis facta fuerit injuria? *b*. Laudatur hic modestia Stenhilli, quod incruentum expectare, quàm cum civium sanguine imperium quærere maluerit *c*. Defuncto successit *Stenhillus* II, Olai II ex sorore nepos *d*. Ut à puero ad sincerum Christianæ religionis inductus amorem erat, ita in virili simul ætate re ipsa eum profitebatur. Adversus imminentes persequutionum tempestates, ingenuis Christi confessoribus aulam suam, veluti portum, & publicæ calamitatis asylum aperiebat *e*. Tribus in Danos præliis Scaniam vindicavit. Corporis in eo robur & jaculandi laudaremus peritiam, si pugilem commendaremus, non principem *f*. *Ingo III* qui successit, Regiis certe animi dotibus excellentissimus fuit. Titulum &

a *Joh. Loccenn. lib.* 1. *pag.* 31.
b *Joh. Gualter. pag.* 538.
c *Joh. Loccenn lib.* 1. *pag.* 91.
d *Joh. Isaac. Pont. p.* 193.
e *Joh. Isaac. Pont. Hist. Dan. l.* 5. *p.* 182. *Joh. Loccenn. d. loc.*
f *Idem. p.* 32.

& honores ante promeruit, quàm accepit: & ubi accepit, cum fortuna non mutavit *a*. In patrias leges nusquam deliquisse legitur *b*. Subditos ad divinas & humanas leges ita componebat semper, ut vivendi disciplinam non minus à se ipso, quam ab aliis exigeret *c*: à quibuscunque beneficio id impetrare non poterat, non tam sui, quam metu inducebat legum: errore lapsis aut imbecillitate clementiam, obstinatius delinquentibus severitatem accommodabat. Scaniam Svecis reddidit. Ultimò Russis gravis *d* in Scania nocturnis peremptus est insidiis *e*. Inde nactus imperium *Halstanus II*, præmortui Ingonis III frater. Hic præter alia imperio digna decora hoc præcipuum habuit, quod sedati atque mitissimi esset ingenii: erga omnes pariter subditos facilis *f*. Quæcunque aspera in principem videbantur dicta, aut ex levitate potius, quam malitia temere effusa, vel interpretando molliter, vel prudenter dissimulando, contemnendoque retundebat *g*. Canutum

a *Wexion.*
b *Ericus Upsaliensis.*
c *Loccenn. l. 1. p. 32.*
d *Messen.*
e *Loccenn. l. 1. p. 33.*
f *Joh. Gualter. p. 538.*

nutum regno Daniæ pulſum & ad ſe profugum, miſſis contra Ruſſos copiis, juvit: Subditis omnibus in deliciis fuit *a*. Quum poſt ſedecim annorum imperium è vivis exceſſiſſet, publici inſtar patris, palam à civibus defletum perhibent Annales. Non exiguam deſiderii hujus partem mox levavit *Philipphus I* ejuſdem filius, qui avitam gentis famam regia anniſus tueri probitate atque prudentia, rerum reip. decus ex publici cura magis, quam inanium ſpeciem quærebat *b*. Unde ſolida in imperio pax, rerumque, ad invidiam uſque, copia. Hujus temporibus Magnas quidam Regni Sveciæ nomine *Folko*, cognomine *Craſſus*, vixit, cujus præclaræ paſſim apud authores in hiſtoriis mentiones *c*. Surrogatus Philippo patri filius *Ingo IV* ad regni faſtigium ſummis omnium aſcendit ſtudiis. Hac laude, inter alias maxime clarus, quod regiam ſuam non purpuratorum magis frequentia voluerit claram, quam pietatis, aliarumque virtutum argumento inſignem.

a *Loccen. dict. loc.*

b *Joh. Gualter. p. 538.*

c *Vid. Loccen. lib. 1. pag. 34.*

gnem. Felix etiam exinde princeps, quod ex primis nuptiis Christinam habuerit filiam, quam Sancto postea Erico nuptum dedit *a*, ex secundis verò Helenam, quam Norvegorum Rex Magnus in uxorem duxit, ex cujus thori accessione, quæ bello pax juveniri non potuisset, in universum composita fuit *b*. Ultimo in agro Vretensi veneno domesticorum extinctus obiit, Ingonii in imperio successit *Ragualdus II, Cerebrosus*. Hunc irato subditis Deo, in vindictam occisi Ingonis, contigisse multi volunt. *c*. Designabant id & discrepantes in electione civium animi *d*, & torvus minaxque principis vultus, incessus ad id superbus, atque ferocia ubique alloquia: audacia unde multa, parum inerat prudentiæ. Ultimum cum ad somnii cujusque nutum singula pro lege esse vellet, infelicem vitæ finem sortitus est *e*; *Magnus* vero, Nicolai Danorum regis filius, in odium Ragualdi a Gothis in Regem electus, quod fratrem suum S. Canutum perfide obtruncasset, ab Erico patruele ingenti præ-

a *Henric. Soterus Descr. Svec. pag.* 188.

b *Alb. Krantz. Hist. Norveg. lib.* 5. *cap.* 41 *pag.* 410.

c *Joh. Loccen. lib* 1. *pag.* 35.

d *Wexion.*

e *Micrall. pag.* 766.

prælio fuſus occubuit. Hinc imperio adhibitus fuit *Svercherus* II, ex illuſtri Comitum oriundus familia. A Gothis primum, mox à Svecis electus, initia imperii ſat pacata habuit & quieta, quæ & reliqua ſecuta fuiſſent, niſi ipſe filiuſque Danico ſe bello ſua involviſſent culpa *a*. Cauſa belli fuit, quod filius Nicolaus Ulvildam Norvegam Nicolao Danorum Regi deſponſatam rapuerit *b*, filius autem ejus Johannes Hallandiæ præſidis Caroli Conjugem, ſororemque viduam ad libidinis conſortium raptam in Sveciam deduxerit *c*. Ad quod bellum gerendum dum Joannes nimiis inſtat exactionibus à conſternata plebe occiditur: Svercherus nocte, qua Chriſti celebratur nativitas, à ſtabulario ſcuto peremptus obiit *d*. Svercherum excepit *Ericus* IX. Si quiſquam alius hic certe parenti ſuo non inficiandus. Natus fuit patre Induardo, quem agricolæ filium nonnulli perhibent: alii eundem ad nobilius referunt ſtemma. Quidquid ſit, imperii adhuc expers ex regia Ingonis domo in matri-

a *Loccenn.* lib. 1.

b *Joh. Gualt.* p. 539.

c *Albert. Krantz. Hiſt. Svec.* l. 5. c. 18.

d *Loccenn.* l. 1. p. 37. *Henr. Soter. Deſcr. Svec.* pag. 188.

matrimonium thori accepit sociam a. Admotus regno turbatum rei statum composuit: alienos ex discordia animos in gratiam reposuit: ab humilioribus potentiorum prohibuit injurias. Non alibi unquam illustrius obsequii subditorum fuit certamen, atque abstinentiæ Regis. Obtestantibus subditis censum principi debitum acciperet, recusavit, addita principe digna voce, *Mea mihi sufficiunt: Nihil expeto, indigebit posteritas.* Præstantissimum autem omnium erat, quod religionis primam habuerit curam, cum Christianam in Finnones propagaret religionem. Templum Upsaliæ exstruxit magnificentius, legesque tulit æquiores. Decimo regni anno, cum tumultuarium rebellibus militem opponeret quos firmabant Dani, ab hostibus caput ei præcisum. Fama tenet eo loci, ubi decollatus est, uberrimum aquarum prosiliisse fontem. Excepit hunc *Carolus* VII præmortui Svercheri filius, biennio ante Erici electionem Rex à Gothis salutatus b. Svecorum demeruerat animos quod

a *Joh. Loccenn. l. 1. pag. 38.*

b *Henric. Soter. pag. 189.*

Erici

Erici mortem ultus esset. Cum postea non satis bene sibi cum Svecis conveniret, affinitate Danorum & Valdemari se munivit, ducta ejus in Uxorem nepte *a*. Inde, quo tutius imperaret, legem sanxit, ut ex Sancti Erici & ipsius posteris alternis crearentur reges, lexque fideliter observaretur *b*. Mox cum indigenis & exteris, domi forisque, Danis & Norvegis pacis contraxit fœdera *c*. Tandem religioni devotus, reparatis monasteriis, Archiepiscopi honore primus regnum ornavit. Peremptus tandem à Canuto S. Erici filio in Visingiana Westrogothiæ insula *d*. Omnium inde consensu subrogatus in regno *Canutus*, non absque sanguine auspicatus fuit regnum, ut ad quem ab exilio venisse judicari posset. Nam præter Carolum omnes quoque ejus fratrueles trucidavit, aliosque omnes qui manu vel consilio regis adjutarent parricidium. In Danos arma tulit Duce Haraldo, præsertim eos qui Scateleri fovebant partes; sed quem Canutus, Daniæ Rex, in Sca-

a *Albert. Krantz. Hist. Svec. l. 5. c. 21.*

b *Ioh. Loccenn. l. 1. p. 42.*

c *Joh. Meursi. lib. 5.*

d *Joh. Loccenn. l. 1. p. 42.*

Scanienſibus obvium campis turpiter profligavit atque in fugam conjecit *a*. Huic ſucceſſit *Svercherus* III Caroli VII filius, Vir rerum civilium & militiæ peritus, nec minus diſertus & dicere juxta ac facere promptus paratuſque *b*. Necis paternæ ultor, quam Canutus in Carolum, inque ejus exercuerat familiam, in authoris liberos eorumque retorſit capita *c*. Natum inde civile bellum authoribus Uplandis, qui Ericiano favebant ſanguini, at Sverchero planè infauſtum. In hujus tempora incidit memorabilis illa Odeni fabula, cujus Norvagorum mentionem faciunt Chronica *d*. Proximam huic in Svecia ſedem habuit *Ericus* X, Sancti Erici nepos. Is Remp. civilibus jactatam fluctibus in quietum repoſuit ſtatum, &, quo ultioni eſſet modus ac civili aliquando finis ſangvini, ruptam cum inimicis reſarcivit gratiam. Publicam hanc tranquillitatem ſequuta eſt tanta in regno ſegetum omnium fertilitas, ut, feræ licet poſteritati, novam tamen apparuiſſe

a *Joh. Iſaac. Pont. Hiſt. Svec. l. 6.*

b *Henr. Soter. p. 189.*

c *Joh. Loccenn. lib. 1. cap. 41.*

d *Vide hanc fabulam apud Johan. Loccenn. Hiſt. Svec. l. 1. p. 44.*

ruiſſe

ruisse aurei sæculi imaginem singuli judicarent *a*. Mox imperavit *Johannes* I Svercheri III filius, cognomine *Adolescentulus*, quod regnum teneris adhuc & rudibus susceperit annis *b*. Per ætatem cum non sufficeret regimini, datus puero & regno tutor Upsaliensis Præsul Olaus *c*. Hujus temporibus nonnulli Westgothorum Proceres negotium facessebant Scarensi Episcopo circa Ecclesiastica prædia, donec jus regio confirmaretur sigillo. Estones, Borussi, Carelli & Wandali junctas armis & effusis in Gothiam copiis, non procul Lincopiâ ad Rotalum Ducem Carolum & ejusdem loci Episcopum cum aliis primariis trucidarunt viris *d*. Cujus Uxor masculo postea animo mariti necem ulta. Rex à confæderatis peremptus præmatura effecit morte, ne, cum sine prole obiisset, Svercheri atq; Erici inde posteritas alternis regerent vicibus. Qui proximas regni tenuit habenas fuit *Ericus IX*, ab impeditiore lingua *Blæsus*, aut *Balbus*, ex posteris S. Erici Abavi, Avi Canuti, & Erici patris. Quamvis

a *Micrell. Hist. polit. lib. 3. sut. 5. p. 786.*

b *Wexion.*

c *Henr. Soter. Descr. Svec. pag. 190.*

d *Joh. Loccen. lib. 1. p. 46.*

vis non nihil claudicaret, à civibus tamen, animum magis æſtimantibus, quam corporis ejus domicilium, votis omnium inauguratus *a*. Inde ne oris vitium aut pedis quid in eo haberet offenſionis, prompto rectoque effecit ingenio, ut laudis creſceret æquitas, ac omnes probitatis laudarentur mores *b*. Sed ut neminem fortuna impune opprimere innocentiam permiſit; ita neminem clementia dignum ſeverius caſtigavit. Inventi quippe ſunt ex nobilitate quidam, qui Regis abutentes modeſtiâ, factâ in eum inſurgerent conſpiratione *c*. Præcipua in his Falcungorum fuit familia, multum ad animos faciente matrimonio, quo caput eorum Canutus Regis ſororem duxerat Helenam *d*. Itaque derepente oppreſſo fugatoque armis Ericô, Canutum ſuum Regem ſalutant. Aſt Ericus, collectis derepente apud Oſtrogotos copiis, breve illud victoriæ occupat regnum, nihil ſeverius in rebelles molitus, quam quod, in terrorem aliorum, factionis ſuſtulerit capita. C...

a *Ioh. Locenn. l. 1. pag. 4.*

b *Wexion.*

c *Henr. Soter. Deſcr. Svec. p. 190.*

d *Ioh. Locenn. Hiſt. Svec. l. 1. p. 47.*

...uditor fuit Col-

Collegi Upsaliensis sub quatuor Professoribus A. Christi 235, quod Sixtus postea IV Acadamicis privilegiis ad formam Bononiensis in Italia Academiæ donavit *a*. Proximus eum excepit *Waldemarus* Erici XI ex Sorore Ingelburgi nepos, Birgeri Gothorum Ducis & Gubernatoris Regni filius, opera Ivarî Blaa, militis alias strenui, per absentiam patris *b*. Victrici classe domum reversus pater, quamvis lætis factum conspiceret oculis, animo tamen mæsto universum tulit negotium. Quare cum Senatu expostulalat, quod electionem non in suum distulissent reditum, quòd filii fortuna ad suam magis pertineret curam, nec se minus, quam quemcumque alium, ex usu patriæ in medium consulturum; maxime cum ejus esset filius ætatis, per quam se ipsum regere non posset. Responsum ab Ivaro: Se authorem fuisse hujus electonis, qui, testandæ ergo benevolentiæ, hominem senio jam confectum, licet optimè de rep. meritum, tam gravi onere administrandi regni obruere noluerit.

a *Micrall. Hist. Polit. lib. 3. Sect. 5. p. 787.*

b *Henr. Soter.*

luerit, utpote quod & ipsemet in se alioquin vel ultro fuisset rejectu-rus. Interim si electus displicet filius, eum tibi habe: Nos alium sumus reperturi. Ad quæ cum Birgerus: quem ergo eligetis? De sub hac tunica, inquit Ivarus, qua induor, regem extrahemus. Hic Birgerus & suæ existimationi & filii spei timens, humanius agere cepit, præ se ferens animo scrutandi eorum voluntates hæc prolata; quas cum justas animadvertat & constantes, habitis populo pro tanto honore gratiis, ut sibi suisq; hunc servent honorem petit *a*. Vicarium regni imperium equestris dignitatis seni traditur, donec Waldemarus in suam ipse tutelam veniret. Morte Birgeri sibi relictus Waldemarus, instructu Danicæ Uxoris, fratres indigne tractavit *b* donec à Magno, Svecorum auxiliis subnixo, captus regni dignitate exutus est, *c* concessa Gothiæ tantum administratione. Remoto Waldemaro, Rex Svecorum renunciatur *Magnus* II *Ladulas* (quasi Horrei sera, quod tam rigide justitiam servarit, ut

a *Joh. Loccenn. l. 1, p. 49.*

b *Henr. Souter:*

c *Alb. Krantz. Hist. Svec. l. 5, c. 24.*

ut vel absque serra & claustro horrea tuta essent) Cui cum Waldemarus Danorum opera *a* continuo rem facesseret, post malefidam aliquoties initam reconciliationem, tandem captivitate Waldemari res sopita *b*. Potissimum ei fraudi fuit, peregrinos ac Danos summæ rerum præfecisse: unde à Dano proditore inter hospitalis mensæ sacra ipse captus *c*. De cætero acre Svecorum, & Folcungorum præcipue, contraxit odium. Ipsis vicissim ita infensus, ut eos, ad convivium simulata vocatos amicitia ac fraude circumventos, cum præcipuis familiæ capitibus, trucidaverit *d*, extincta tantum non tota Folcungorum familia. Iam Senior filium suum curavit creari Regem, promisitque in conjugem Margaretam Danicam, Danorum Regi vicissim filiam suam Ingeburgam concessurus. Mutata, sub finem vitæ, hominis crudelitas sanctitate, & propenso in cultus divini exornationem affectu. Post tredecim annorum imperium, fatalem prævidens rerum instare excessum,

a *Albert. Krantz. dict. loc.*

b *Henr. Souter.*

c *Joh: Gualter.*

d *Joh. Loccen. Hist. Svec. lib. 1.*

suprema ordinavit omnia *a*. Proceribus civilem & privatam concordiam, ut firmissimam & proximam Regni custodiam commendavit. Filios suos in tutelam Trochillo Canuti, Principi Senatus viro, ad maturam usque ætatem tradidit. Cunctis placide ordinatis ultimum vitæ diem clausit. Cives intimum erga Regem amorem & defuncti desiderium contestaturi, mortui Regis corpus ex Wisingiana insula Holmiam usque duodecim dierum itinere, humeris ipsi suis deportarunt *b*. Successor in Regno fuit destinatus à patre filius *Byrgerus II*, ob lubricum ætatis, sub tutela, ut dictum, Trochilli; quam ille tanta primum administravit fide, ut dubites patremne magis, an tutorem se gesserit. Minorenne adhuc Rege adversus Carelios & Ruthenos, Sveciæ limites infestantes, arma sumpsit. Perdomitis Careliis, adque Christianam religionem conversis, & in Svecorum ditionem redactis, ut in fide retinerentur, & munimentum simul adversus esset

a *Joh. Locen. Hist. Svec. lib. 1.*

b *Joh. Locen. Hist. Svec. li. 1. pag. 59.*

Ruthenos atque impressionem Sarmatum, arcem urbemque Wiburgum, nobile nunc Careliæ emporium & caput, condidit. Rex ipse maturior ætate uxorem duxit Martham s. Maretam Erici Daniæ Regis filiam. Ultimò dehonestamentum sui & Svecici nominis factus, author fuit fraternæ, qua nihil sceleratius ulli habent Annales tragediæ *a*, postquam, remoto Trochillo, felicia Regni auspicia sævior Principis natura fratres proditionis insimulasset, & in aperta contra eos descendisset bella *b*. Ab illis captus, varia compositionis & reconciliationis simulatione delusos fratres, tandem ad convivium allectos cœpit: inde in carcerem detrusos squalori & fami exanimandos reliquit, abjecta, ne ulla ratio subveniendi superesset miseris, in profundum præterfluentis fluminis clave. Id parricidium ulturus Senatus, ejecto Birgero, filium ejus Magnum capite plecti jussit, ac Gubernatorem Regni Matthiam Cherelmundam constituit, à quo *Magnus* III *Smeeck*

a *Henr. Souter. p.* 191.

b *Albert. Krantz. Hist. Sveo. li.* 5. *c.* 26.

a Wexion. Descr. Svec. lib. 9.

b Ioh. Loccen. lib. 1. p. 68.

c Henr. Souter.

d Ioh. Locc. lib. 2.

e Joh. Gvalter.

Erici in Carcere perempti filius *a*, puer adhuc, & tertium vix egressus annum, ad regnum evectus est. *b*. Initio felix & rebus prosperè gestis florentissimus primum, ducta mox uxore Blanca Gallica, Comitis Namurcensis filia, nequidquam patrui territus vestigiis, contemptu sacrorum, libidinum portentis, ac efferata demum crudelitate publici prædonis meruit titulum *c*. Filiorum in regno consortium, quod ante se velle simulaverat, indignè ferens, in Ericum filium percussorem armavit, sed quem mater Blanca, ante peractum scelus, veneno extinxerat. Ad quod scelus vindicandum Haquinus, filiorum alter Norvegiæ præfectus, exinde evocatus captum patrem in custodia detinuit *d*. Postea in Sveciæ regno confirmatus, Elisabetham Holsatiæ Ducis filiam ducturus, eundem ex captivitate dimisit: qui ad Waldemarum Danorum regem profugus, effecit ut Sponsa Holsatica in itinere cum legatis caperetur, & Daniæ Regis filia eidem Margareta obtruderetur *e*. Inde in om-

omnia se commisit flagitia, etiam quæ meminisse nefas. Regnum Waldemaro Dano prodidit, & proscriptis Seciæ proceribus *a*, eorum necem injunxit. Magnus publicè exauctoratus, ut & filius ejus Haquinus. Suffectus statim *Albertus Meckelenburgensis*, Magni ex Sorore Euphemia nepos, primus Regum extraneus *b*. Felicius regnasset nisi extraneos assentatores indigenæ prætulisset nobilitati, per quos, quæ publicis peragi debebant suffragiis, privato expediebat judicio, Sveci Gothique, si suas quando causas vel ipso coram Rege, vel ejus dicturi erant judicibus, risu aut ludibrio excipiebantur, & apertis interdum contumeliis *c*: Nobilissimas virgines, in opprobrium gentis, indignissimis elocabat exteris, quos tamen omnes consanguineorum appellabat titulis, ut qui tali viderentur digni matrimonio, cum vilissimi cerdonum postea deprehensi fuerint filii. Bellum in Danos moturus Nobilitatem prædiis, reliquos cives exactionibus ita exhausit, ut omnes in indignationem conversi

a *Henr. Souter.*

b *Ioh. Loccen. lib. 4. p. 75 Alb. Krantz. Hist. Svec. lib. 5. c 28.*

c *Joh. Loccen. lib. 4. p. 78.*

 aper-

apertum non dubitarint bellum. Domestico cui bello Margareta accessit Norvegiæ ac Daniæ Regina, defuncti Regis Haquini vidua. Albertus à suis desertus victusq; cum filio Erico Victrici Reginæ traditus. Inde per septennium in carcere detentus. Ultimo ægre ex carcere dimissus in Monasterium Dobraxense Ducatus Megapolitani se abdidit. Hoc securius arbitratus, quam incerta spe metuque suas & aliorum in posterum versare fortunas. Sic procul dignitate omni in obscuro consenescens loco, privatus obiit, meliore dignus sorte, si imperium, ut cæperat, ex publico porro usu administrare perseverasset *a*. Ipsa interim regna seditionum distracta factionibus, multum ad id juxta facientibus Cucullatorum fratrum consiliis, qui sub specie religionis Stocholmiam admissi, numero 1050, unum hoc agebant, ut, conjectis in Svecos & indigenas injuriis, ad lites omnes & rixas provocarent, ac demum apud suum delatos Regem fortunis spoliarent ac vita *b*. *Margareta* ergo, Wal-

a *Joh. Loccen. Hist. Svec. l.* 3. *p.* 86.

b *Joh. Gvalter. p.* 544.

Waldemari Regis Daniæ filia, Haquini ex Magno Smeecko nati uxor, trium Regnorum consensu, certis electa conditionibus, in publicis Calmariæ comitiis decrevit, ut, salvis omnibus legibus ac privilegiis, perpetuo nexu regna manerent conjuncta. Cæterum fæmina imperiosa & supra sexum cordata, solers & rebus intenta omnibus *a*: quorum singula patris sui Waldemari de ea confirmabat judicium, qui dicere solebat *deerrasse in ea naturam, fæminamque produxisse, cum destinasset masculum.* Mulierum sané maxima si in virtutem potius impetus illi & perpetui inclinassent motus. Versutum ejus animum non temere diu suspectabant Sveci, quibus se tandem duriori invisam imperio & æmulatione adversus suos reddidit *b*, cum à strictis Regni legibus, in quas promptissimo tamen animo juraverat jurejurando, ut puerum astragalis habito, resiliisset & inexplebili avaritia omnia fædasset, singulaque præcipua natis Svecorum credidisset hostibus *c*. Monita ne contra concepta ju-

a *Joh. Loccen. Hist. Svec. l. 3. p. 87.*

b *Wexien.*

c *Henr. Souter. p. 193.*

juramenti verba arces tutelamque Regni exterorum committeret fidei: ſervate, reſpondit, vos quæ poteſtis diligentia litteras noſtras, nos operam dabimus ut vobis veſtræ ſerventur arces. Mox præcipitem excuſans ætatem, ſuum ex ſorore Nepotem Ericum, Mariæ & Wratiſlai VII Pomerani filium, ejuſque ſpem cum annis adoleſcentulum commendavit, proponens his ex ſua familia tria Septentrionis regna firmatum iri *a*: & ut ambitum publicæ utilitatis, aliqua velaret ſpecie, eoſdem cogitare monuit: ſe *Regnum abſque turbis certo tueri ſucceſſore, & magnarum opum acceſſione munire. Si quid ad ingenii cultum vel ætatis deſit puero*, erat enim tantum quatuordecim circiter annorum, *regia id educatione expleri poſſe: apud ipſos domi in patrios erudiri mores, teneramque indolem, flecti facilem, ad regni genium attemperari.* Proceres dominationis ſecreta intelligentes, publicam laudabant ſolicitudinem, ſed quam, ut intempeſtivam & patriæ libertati, præſentique Regni ſtatui gra-

a *Joh. Loccen. lib.* 3. *p.* 87.

graviusculam, modeste deprecabantur, maximè quod *se viva & regnante adhuc, alius eligi Rex non posset, in illo præsertim imperio, in quo recentis designatio Regis non nisi per suffragia iret.* At cum illa regessisset, *suffragandi arbitrium non insolito more in certæ stirpis, & de publico benè merita, vel regno cognatæ personas, integra libertate posse transferri ac dispensari*, & aliquanto vehementior, *illos ideo fortasse recusare Ericum, quod de suo esset sanguine.* Proceres, ne præfractè eam offendisse deprehenderentur, vocata in consilium re, tandem imperii spem in Erico Pomerano communi consensu ratam fecerunt *a*. *Ericus* ergo *XIII* ubi de fide Christiana amplectenda jurasset, & de immunitatibus cuilibet ordini integris servandis, primum de unione trium Regnorum egit, ast sub conditione, ut singula regna suis uterentur institutis *b*. Non diuturna hæc confæderatio. Duxit uxorem Philippam Henrici Angliæ Regis filiam. Dotem marito uxo attulit unum tantum num-

a *Joh. Loccen. lib.* 1. *p.* 88.

b *Joh. Gvalter.*

mum, sed in quem plura auri millia conflata fuerunt *a*. Fæmina, non improba quidem, sed quæ rerum publicarum curiosior, quam matrem decebat familias *b*. Ausa & bellum Vandalicis facere civitatibus, easque ut Lubecensem & Straelsundensem, inconsulto marito, navali vincere prælio. Hanc victoriam domestica excepit calamitas. Rex domum redux adeo ob patratum excanduit factum, ut reginam, uterum etiam gerentem, indignius tractarit. Illa animi ægra, ac duriores mariti exosa mores, aliquantulam ubi vitę partem in monasterio exegisset, obiit *c*. Arcem Wisburgum, invitis primum civibus, dein consentientibus exstruxit, postquam policitus fuisset, nihil inde quidqu ã civium derogatum iri privilegiis. Inde solus rerum Svecicarum Dominus, non quarto quolibet mense ex lege pacti in regno aderat Sveciæ, sed maximam ætatis partem degebat in Dania, vel inutilibus alibi distinebatur bellis. Pro argenteis nummis cupream substituit mo-

a *Micræll.*

b *Wexion.*

c *Ioh. Loccenn. lib. 3. pag. 91*

monetam. Neglectis optimis Svecorum familiis, suos ad quasvis evehebat dignitates: maxime Henricum Konigsmarchium in aulæ publicorumque negotiorum consortium admisit, ejus per omnia consiliis ductus *a*. Inde pactorum violator, Nobilitatis, per bella externa & navigationibus per sævas tempestates imperatis, extirpator antagonistas habuit Engilbertum, ex nobili Principem Darlecarlorum electum: & hoc insidiis Danorum è vivis sublato, Carolum Canuti communi Svecorum rei præfectum. Desperatis in Svecia rebus cum in Daniam profugisset, quibus ibidem infensus, tentato primum, mox desperato etiam reditu, Gothlandiam occupavit, unde navigantes sua infestaret piratica. A Canuto tandem obsessus, cum à Danis subinde metueret in avitam abiit ditionem *b*. Solenni postea Danorum legatione invitatus redire noluit. Tandem post 42. imperii annos Rugenvaldiæ in otio expiravit & quiete. Successit inde *Christophorus*, Palatinus Rheni &

a *Johann Gvalter*.

b *Henr. Souterus*.

Dux Bavariæ Erici Pomerani ex Sorore Sophia nepos, filius Iohannis Ruberti Electoris & Imperatoris à Danis electus; sed qui à Svecis non statim admissus, exinde quod insciis se factum causarentur indigenæ, qui Carolum Canuti, Finlandiæ Præfectum, regni Gubernatorem constituerant *a*. Post quadriennium tamen, confirmatis Svecorum privilegiis, coronatus est Upsaliæ. Præclara ejus undique initia privata dissensione, & mutuis Svecorum supplantationibus, mutata in pejus. Siquidem cum varia feudorum donatione nobiles inter se committeret Svecos, communibus patriam vastabat simultatibus *b*. Gessit bellum cum Anglo. Hoc victo Vandalicas bello aggredi civitates molitus; sed mercatorum insidiis adpetitus, non sine miserabili rerum hominumque naufragio triste subiit periculum, cui nec ipse diu superstes *c*. Hujus temporibus Svecicum & Gothicum jus per Regnaldum Ingermundum latine versum prodiit, ante aliquot annos ex Regni

a *Ioh. Loccen. lib. 3.*

b *Johan. Gualter.*

c *Johan. Loccen. lib. 3.*

gni

gni legibus & constitutionibus per Episcopos & Sacerdotes in unum corpus redactum. Regis libidinem Deus fame ac peste regni vindicavit: tandem in Dania improlis mortuus *a*. Regnavit inde *Carolus VIII*, Canuti Boude Equitis aurati, Senatoris Regni & Finlandiæ Gubernatoris filius, à proceribus, post aliquot annorum interregnum, jugum exterorum fastidientibus Rex constitutus, & paucis post annis Norvegiæ etiam diademate potitus. Gothlandiam insulam, in qua Erici adhuc erant præsidia occupavit *b*; sed quam ei confestim Christianus I Rex Daniæ eripuit. Nato inde cum Danis bello eos gravissimis mulctavit damnis *c*. Tandem in eum populus, præfectorum emotus insolentia, classicum autem potissimum canente Archiepiscopo Upsaliensi, insurgit. His pressus difficultatibus Carolus Gedanum profectus, suppetias à Polonis rogaturus. Interim *Christianus* Daniæ Rex regno obtruditur & coronatur *d*. Post septennium inde Catillus, ex Linoom-

a *Henr. Souter.*

b *Ioh. Miacrall.*

c *Henri Souter.*

d *Ioh. Loccen. lib. 3.*

compensi Episcopo miles factus, Archiepiscopi nepos, collectis undique copiis, regno ejecit quicunque Christiani favebant partibus, renitentes memorabili glaciali devicit pugna a: Christianum ipsum regno exegit, & Carolum ex Prussia revocavit. Qui reversus, recuperata favoris popularis aura, Præfectos populo gratiores suffecit. Denique laudis ex virtute non minus quam vitæ & regni satur obiit A. 1470, initio Maji. Nullus priorum Regum tam diligentem agriculturę curam, aut parandorum pascuorum, excindendarum sylvarum, novalium ampliandorum, exstruendorum oppidorum villarumque illo adhibuit. Defuncto Carolo successit *Steno Sture*, ex Sorore Brigitta Caroli Regis nepos, omnium suffragiis electus. Is Christiernum Daniæ Regem cum classe ac exercitu, Stocholmiæ mænibus proximum, victum fugatumque removit. Inde filium ejus Ioannem, evocatis Russis, & per occasionem discordiæ inter Stenonem & Svantonem Sveciam aggressum, jamque

a *Henr. Soeter.*

per:

per factiones coronatum, repressit *a*. Ipse totis triginta imperavit annis, dicique meruit fælicior Augusto, melior Trajano. Memor verborum Caroli avunculi jam morientis, induci haud potuit ut nomen & majestatis diadema assumeret. Danici Regis uxorem Christinam, in Stockholmiensi arce diu inter captivas retentam, non solum ab omni immunem habuit injuria, sed & cum omni nobilitatis comitatu ipse in Hallandiam deduxit *b*; sed quod humanitatis officium proximo ejus cessit exitio. Nam in ultimo eo convivio, quod cum Regina in Smallandiarum celebravit terris, pestiferam contraxit ægritudinem, ex qua mox decessit anno 1504, circa principium Decembris in pago Scheflyngarid. Aderat morienti *Gaddus*, qui mortuo Rege comminatus militibus, sub pæna capitis, ne mortem propalarent Regis, priusquam in locum Regiæ sedis rediissent, idque metu ne Regni excluderentur Metropoli, ac demeritorum frustrarentur stipendio *c*. Missis inde ad *Svantonem* Ostro-

a *Joh. Loccen. l.* 4.

b *Joh. Loccen. l.* 4.

c *Joh. Loccen. l.* 4.

Oſtrogothorum principem & Regni Conſiliarium legatis, eum ſibi obvium evocavit, qui in medio ei occurrit itinere, ſpecie deducendi Regem Stenonem Stokholmiam: novo quidem exemplo, ſed quod poſtea Senatus ratũ habuit electione ejuſdem in regnum, ob mores & familiam tam egregii Viri *a*. Inita cum Lubecenſibus confæderatione bellum cum Chriſtierno II geſſit, quem jam multi expetebant odio filii. In quem dum majora moliretur obiit anno principatus 8. a. 1512. Tam in ſuos erat liberalis, ut veſtes ſibi ſæpius detraxerit quibus ſuos donaret. In aliis ſtipendiis largiendis aliquando exhauſit fiſcum: imo fame potius periiſſet ipſe, quam ex incolarum victitaſſet injuriis, aut Eccleſiarum ſeſe ditaſſet ſpoliis, recte exiſtimans Svecorum abunde ſufficere reditus, qui ſuum abſque rapinis aut ſacrilegiis poſſent alere principem. Admirabilis in principe fuit virtus, quod plus quam Vatiniano proſequutus fuerit odio mendaces. Quoties abſenti aliquem obloqui au-

a Henr. Soter.

audiebat, toties accusatum vocari jussit, ut coram facinus purgaret: unde factum, quod facile detractionibus positus fuerit modus. Sequutus patrem, quamvis difficulter, filius *Steno Sture Iunior.* Is, diffidente Stokholmiæ Senatu (cum Princeps regni designatus esset Ericus Trolle, Vir regno dignissimus, nisi Trollorum obstitisset familia *a*, ob publicum patriæ odium, & Danicæ factionis studia) natâ inter regem & Gustavum Erici Trolle filium Archiepiscopum Upsaliensem, discordiâ, ob quam non solum ipsi duo, sed & in universum tota in perniciem ivit resp. cum Rex Christiernus per congelatas in Sveciam direxisset aquas *b*, ac Stockholmiam jam ipsam, regiamque magna operum vi cinxisset, ingenti manu obvius, Danum ab obsidione discedere jussit: & cum reflante vento, exercitum toto trimestri transmittere non posset, summa rerum omnium penuria pressum, quod illius animum omni studio demereri satageret, in commeatum

a *Joh. Loccen. lib. 4.*

b *Joh. Gvalter.*

tum & fidem accepit, quo securius cum incolumi redire exercitu in Daniam liceret *a*; sed quam humanitatem Danus post detestanda pensavit fraude. Nam, petito cum Stenone colloquio, cum paulum abfuisset, quin Steno incautus in hostilem descendisset navem, hac spe frustratus, legatos à Stenone missos, Gaddum & Gustavum Erici filium, captos secum in Dàniam, contra datam à se fidem, abduxit. Summum hoc violatæ fidei cum specimen hoc anno Christiernus edidisset, sequenti multo majus perfidiæ & crudelitatis juxta probavit *b*. Siquidem validiore cum exercitu excursione in Westrogothorum terras facta, ac pugna supra congelatum mare commissa, ictu tormenti in fœmore accepto, cum Steno expirasset, ac sublato duce universus militiæ exercitus dissipatus evanuisset, *Christiernus* Victor à proceribus Regni, qui Danicæ factionis erant, evocatus regia Stockholmiæ corona ornatus est *c*. Peractis inde solemnitatibus, eodem mox die, veritus ne, se

a *Jacob. August. Tuanus. Histor. tom. 1. p. lib. 1.*

b *Joh Loc. con. l. 4.*

c *Jacob. Thuanus. tom. 1. lib. 1. p. 52.*

se absente, Stenonis liberi à contrariæ factionis principibus, rursus in regnum restituerentur, clausis urbis portis, præcipuos ex omnibus ordinibus viros, convivio à se exceptos, adstante & trepidante populo, ad nonaginta quatuor obtruncari jussit, relictis ante pratorium per triduum, ad horrorem cadaveribus. Stenonis ipsius corpus, terræ paulo ante mandatum, novi jussu tyranni effossum, ac cum reliquis crematum *a*. Viduæ & interfectorum liberi bonis spoliati & fortunis. Ita Stockholmiâ profectus. Incolis ad facti famam ad xxx. millia cum armis occurrentibus, ipse per devia & sylvas noctu potius, quam interdu iter faciens vix tandem in Daniam rediit: ubi tot cædibus efferatus cum ne à suorum etiam sanguine cruentas cohibere manus posset, à Friderico patruo, Holsatiæ principe, & Lubecensibus bello petitus, terrente conscientia, cum Uxore Frabella, Cæsaris sorore, & liberis in Sialandiam profugit, anno post Stokhol-

a *Johan. Micrel. li. 3 sect. 49 p. 191.*

holmienſem lanienam tertio, qui fuit ſæculi vigeſimus tertius *a*. Succeſſerat interea *Guſtavus I*, genus ab Erico S. Sveciæ Rege per maternam ducens lineam, ex illuſtri Waſorum familia, quæ proximum ſemper dignitatis poſt Sturorum obtinuit familias, oriundus. Hujus abavia Nicolai uxor fuit, Caroli VIII Regis avia paterna; avia autem Brigitta, Joannis Uxor, habuit Carolum VIII avunculum, & Stenonem Sture ſeniorem fratrem. Pater ejus Ericus de Ridboholm Eques fuit auratus, Regni Senator & Præſes Alandiæ. Ipſe, poſt probatam Stenoni adverſus hoſtes virtutem, ante in Daniam obſes miſſus fuerat; ſed admodum indigne habitus, cum fata patriæ adverſa intelligeret, è cuſtodia elapſus, ruricolæ habitu Lubecam venit, indeque, indignantibus quamvis Danis, permiſſum ei ut in Sveciam remearet. In patriam redux privatis ſe primum exhibuit latibulis, metu commiſſæ ante in proceres tyrannidis, inter quos patri etiam ſuo car-

a *Henr. Souter. Deſcr. Svec. p.* 201.

carnificis illata erat in foro manus *a*. Hic cum ſe quoque ad necem quæri intellexiſſet, in Darlecarliam profugit, ac mox collecto exiguo primum exercitu majora tentavit. Inde ducta Stenonis filia *b*. Regni electus gubernator, multa Danos virtute fugavit *c*. Tandem urbibus à Danorum præſidio liberatis, inque Svecorum poteſtatem redactis, cum ſingula ad indigenarum adminiſtraret nutum, ſuffragiis omnium Rex deſignatus anno Sæculi vigeſimo tertio, quinto demum poſt anno coronatus eſt *d*. Patriam per crudelitatem ſubjugatam intra biennium vindicavit. Civiles diſcordias omnes extinxit. Cives ſalubribus in ordinē redegit legibus. Mutavit & ſacros religionis cultus, non tamen ſine tumultu, Evangelicam religionem introduxit. Biblia Svecico idiomate evulgavit, ac Clericorum imminuit potentiam. Ruſſorum repulit tumultus, & ut Danis omnis præcluderetur ſpes regni, ex regnò electivo hæreditarium fecit. Reddita Friderico Danorum Regi Bleckingia; Inſula autem Gothlan-

a: *Ioh: Gualter.*

b *Iac. Aug. Thuan. Hiſt. lib.* 11

c *Wexion.*

d *Martin. Zeill: Deſcr. Svec. p.* 84.

dia

dia sibi retenta, firmam cum illo stabilivit pacem *a*. In Darlecarlia cum Pseudo Sturius à Clero ei obtruderetur, mature eum oppressit, & profugum Rostochii carnificis manu sustulit *b*. Fuit ei & cum Polonis bellum. Cæterum Princeps omni laude dignissimus, quod, cum ex legibus & æquitate sua cuique adjudicasset, ultimo prudentissime singula administraverit *c*. Qui illum excepit fuit *Ericus XIV*, Gustavi filius, ex Catharina Electoris Saxoniæ filia primogenitus, primus hæreditario jure succedens. Princeps ingenii corporisque dotibus laudatissimus. Eruditione maxime claruit: linguarum etiam & Astronomiæ peritissimus *d*. Is primus Revaliam, totamque Estoniam in suam recepit tutelam. Hostes habuit Danos, Lubecenses & imprimis Polonos, quos magnis omnes affecit cladibus.

a Ioh. Loccen. lib. 5.

b Johan. Gvalter.

c Ioh. Micrell. d. l. loc.

d Wexion. Descri. Svec. li. 9.

Postea præcipuos regni Consiliarios, Svantonem Sture, cum duobus filiis Nicolao & Erico, Abrahamum Gustavi, Ivarum Ivari, Dionysiumque Burgium, præcepto.

ceptorem ſuum & alios, falſo apud ſe, per Georgium Perſonium intimum Secretarium conſpirationis adverſus Regem initæ delatos, innocentes Upſaliæ à ſatellitibus ſuis interfici juſſit. Qua cæde perpetrata, dolore animi & pudore, item pænitentia commiſſi agitatus ſceleris, fratrem Johannem quem antea cum Conjuge Catharina *a*, filia Regis Poloniæ Sigiſmundi Augusti, quadriennio captivum habuerat, libertati reſtituit, ut eſſet à quo ipſe ſequenti inde anno manciparetur carceri *b*. Cum enim anno 1568. 2 Julii concubinam ſuam Catharinam, humili loco natam, ex qua liberos duos ſuſceperat, ſolenni in templo ritu ſibi copulari, ac jam veluti Reginam coronari juſſiſſet, fratres ejus cum Avunculo ſuo Stenone Erici Turone Bielki, aliiſque Regni proceribus iniêre conſilia deponendi Ericum *c*. Quod cum ſine aperta vi fieri non poſſet, fratres Johannes & Carolus Sudermanniæ princeps eum obſidione cinxerunt, inde captum ſub cuſtodia detinuerunt,

a *Thuan. lib.* 22.

b *Paulus Piaſecius Chronica. Geſtorum in Europ. Singul. p.* 10.

c *Thuan. lib.* 41.

runt. Electus inde *Johannes III* Gustavi I ex Margareta Steenbock Sveca secundogenitus *a*. Is post septennale cum Danis bellum, inita cum iisdem Stetini pace, litem de tribus coronis penitissime sustulit. Regnorum duxit limites: jura quæcunque cujuscunque Regni irrita fecit. Russos inde aggressus Narvam eis utramque ademit. Fines Regni ad quadraginta fere milliaria dilatavit *b*. Decessit anno 1592. mense Novembri *c*. Patre defuncto *Sigismundus III* in custodia, cui pater fuerat concreditus, natus, & à matre, quæ pontificiæ addicta erat religioni, educatus *d*, quod maternum genus ex Iagellonica Poloniæ Regum stirpe duceret, Maximiliano Austriaco in electione Regis Poloniæ prælatus fuit *e*; sed qui successus suo non caruit incommodo. Nam cum contra juramentum, post mortem patris Rex in Svecia inauguratus apertum se reformatæ religioni hostem profiteri videretur, & peregrinos jam milites in regni præsidiis disponere, partemque

a *Wexion.*

b *Idem & D.M. Janson. Merc. Gall Bell. l. 5. p. 611.*

c *Luc. de Linda. Descript: Orb. p. 959.*

d *Thuan. lib. 104.*

e *Paul. Piasec. Chron. pag. 62. Thuan. lib. 88.*

Lio-

Livoniæ Moſcovitis ante ſubtractam à Svecis transferre ad Polonos, apud quos juxta & forum Svecis conſtituere cogitabat. Patruum Carolum invenit adverſarium. Quem ut reprimeret anno 1598, cum quinque millibus claſſi impoſitis ex Polonia in Sveciam venit, ad arbitrium cuncta diſpoſiturus *a*. Quo cum appuliſſet, Carolus initio de pacis agebat conditionibus. Poſtea aggreſſus Polonos, magna eorum parte cæſa, caſtriſque expugnatis, hanc Sigiſmundo impoſuit neceſſitatem, ut, jam jam in Poloniam rediturus, præter alias conditiones, Sveciæ ſibi proceres traderet qui ad ipſum tranſierant *b*. Quibus ultimo ſupplicio affectis, bellum in Livoniam tranſlatum *c*. Regnum Sigiſmundo abdicatum, *Carolus IX* Rex Sveciæ proclamatus anno 1604. Hic fuit tertius Guſtavi filius, cui poſtea Johannes, Sigiſmundi frater, regnum ultro ceſſit. Ad Regni gubernacula admotus ubi Finlandos & Eſtonios, qui ad partes deſciverant Sigiſmundi, in

a *Piaſec. Chron. pag.* 110. *D. M. Janſon. Mercur. Gall. Belg. lib.* 7. *p.* 18. & 23.

b *Piaſec. Chr. p.* 177.

c *Thuan. Hiſt. l.* 131.

ſui redegit obſequium, belli ſedem in Livonia conſtituit. Ubi, opera Johannis Nâſſovii & Farensbachii, occupatis quibuſdam locis, aliquando in varia ſimul tractus diſcrimina: Rigam aliquoties tentavit *a*. Inde cum ad hanc anno 1606 caſtra locaſſet, & à Polonis Curlandorumque duce victus, ac ipſe vulneratus ſortunam porro experiri non deſiſteret, eodem anno regio ornatus eſt diademate. Inde capto deditione Weiſſenſtenio, Rigam iterum iterumque, quamvis fruſtra, obſidione fatigavit *b*. Non minus inde ferebat Danus, naves ſuas in Livoniam cum comitatu miſſas, fuiſſe interceptas *c*. Carolus autem his neglectis ſuam in Lappios, populos hyperboreos, juriſdictionem vendicabat, ipſi Norvegiæ conterminos. Unde Calmariam huic & alia ademit loca *d*. Hinc Baſilio Moſcorum Duci, in offenſam Polonorum, à quibus ad ultimas premebatur incitas, ſuppetias tulit per Iacobum de la Gardium. Sed Moſchis innata ſibi fraude agentibus, ubi enatum fuerat bellum

a *Piaſec. Chron. p. 302.*

b *Idem. Chron. p. 193.*

c *Goth. Arth Mer. G. B. t. 9. l. 9.*

d *Wexion. Goth. Arth. t. 9. lib. 1.*

lum ab iis Kexholmiam & vicinam illis per vim eripuit Novogardiam. Ultimo inter medios tumultus occubuit. Qui eum excepit fuit *Gustavus Adolphus*, filius cognomine *Magnus*. Is trium difficillimorum, adversus Danos, Polonos *a* ac Moscovitas bellorum aleam subiit. Sed qui secundo Regni anno in pacis descendit conditiones. Inde translato in Carelliam exercitu, multis Russos victoriis eo adegit, ut Carelliam atque Ingriam, cum munitissimis quibusdam locis, irrevocabili sibi cederent pacto; suoque in Livoniam juri renunciarent. Vix à gravibus his bellis ad bella facto principi datum respirium. Quatuor vix elapsi fuerant anni, novæ ecce in Polonos iræ. Quos ad æquas ut pacis revocaret conditiones, illatis in Curlandiam armis, in ipsam quoque Livoniam magno cum impetu infestissima tulit signa. Non silendas civitates Rigam *b*, Dynamuncium *c*, ac mox, profligato Stanislao Sapieha, Kackenhausium, Dorpatum aliaque provinciæ oppida & arces occupavit, nec ab ipsa

a *Piasecii Chron. p. 287.*

b *Joh. Philip. Altin. Theatr. Europ. t. 1. p. 628.*

c *Adolph. Brach. Hist. Nost. Temp. l. 1. p. 63.*

ipsa abstinuit Lithvania *a*. Classe inde in Borussiam advectus, commodissimum Pilaviæ portum occupavit. Braunsbergam item, Warmiam, Elbingam, Marieburgum, Mevam, Margienburgensem Insulam, & Darschawiam: adeoq; quævis obvia, incredibili celeritate, ad Mevam Regis Polonorum nihil impetum moratus, in suum traxit obsequium *b*. Conductus per Germaniam octo millium cum sub-Tribunis Streufio & Teufelio nequidquã profuisset, quod ad Hammersteinium in Pomeraniæ confinibus dissipatus fuisset *c*, ipse in Sveciam abiit. Redux portum Dantiscanorum, & ipsa Urbis propugnacula in periculum, sed non sine suo vocavit periculo *d*. Occupata à Polonis Meva, cum Stanislao Koniecpolscio ad Derschaviam prælium subiit: discessit victor, sed Castrorum oppugnatione grave accepit vulnus *e*. Agebatur jam in adversis utrinque castris de pacis conditionibus; sed cujus spem surripuere Hispanorum Regis pollicitationes, quibus recentem in suppe-

a *Piasec. Chron. p.381.*

b *Adolph. Brach. lib. 3. p. 153.*

c *Johan. Philip. Abelin. Theatr. Europæo. tom. 1. p. 1187.*

d *Piasec. Chron. p.383.*

e *Adolph. Brachel. lib.3. p. 169.*

ſuppetias Poloni promittebat claſſem; & jam Wallenſtenius imponebat militem, ſedem belli in ipſa poſiturus Svecia. Quapropter recepti à Svecis animi: ac poſt leviores aliquot velitationes, occupata ab iiſdem Brodnicia. Wrangelius egregiâ ad Gortznoviam potitus victoria: ipſumque, licet ſine ſucceſſu, oppugnabat Thorunium *a*. Advolaverat interim Arnhemius in auxilia Polonorum ab Imperatore ſubmiſſus. Anceps initum prælium ad Trzciniam. Mortuus Reingravius junior: nec Guſtavus Rex ipſe ſine periculo *b*. Petebatur inde à Polonis Marienburgum. Unde Arnheimius, quod Brandenburgici Electoris Vaſallus eſſet, ne vim ſuam principis ſui opponeret voluntati, aut quidquam hoſtiliter ageret, petitam à Polonis impetravit miſſionem *c*, nactus poſtea ſucceſſores Henricum Julium Ducem Lauwenburgicum, & Philippum Mansfeldium. Hinc Gallicorum & Anglicorum interventu utrinque in annos ſex induciæ, illa conditione ut vim mili-

a *Micræl. & Piaſec. p.* 406.

b *Piaſec. Chron. p.* 392.

c *Micræl. paulo aliter hanc narrat Hiſtoriam Piaſec. p.* 408. & *Brach. l.* 3. *p.* 197.

tum Cæsareanorum ex oppositis Sveciæ littoribus suis regnis imminentium averteret. Anno hujus sæculi trigesimo, eodem Junii die, nempe 25, quo centum ab hinc annis Augustanæ confessionis articuli Carolo V. Imperatori solenniter exhibiti fuerunt, in Germaniæ fines mari iterum reversus Gustavus, omnia Cæsaræanorum præsidia ex munitissimis Pomeraniæ locis, heroico plane successu ejecit. Ereptâ ex faucibus hostium Pomeraniâ, in Marchiam, inde in Saxoniam, Misniam, Thuringiam, Franconiam, Palatinatum, Bavariam, atque ad ipsos usque Alpes progressus Tillium tamdiu afflixit, donec vita & spe demum omni, quam de extirpanda Reformatorum religione conceperat, ejecisset. Imperii urbes præcipuas, & de salute sua plus satis solicitas, pressosque hactenus principes, arctiore sibi conjunxit fædere: victricia successuum suorum signa ad extremas usque Germaniæ circumtulit oras. Hostes ipsos partim benevolentia ad sui

vene-

venerationem invitavit, partim armorum coercuit metu. Tandem utSaxoniam à nova Cæsareanorum irruptione liberaret, revocato ex Superiori Germania pede, in Lutzensi Victor pugna, gloriosa incomparabilis heros & digna se morte occubuit *a*. Augustissimo Patri felicissima successit filia octennis *Christina*. Hæc undecim prioribus Regni annis sub quinque Tutoribus, ex censu Senatorum, maxime vero sub auspiciis Axelii Oxenstierna, cui moriturus Gustavus belli pacisque per Germaniam jura commiserat, continuum vitæ tractum, supra sexum muliebrem, litteris linguisque incubuit: evocatis subinde doctissimis peregre ad hoc institutum Viris, qui conceptum hujus in pectore ardorem foverent. Inter hos magnus fuit *Claudius Salmasius*, qui, impetrata ad id à Confæderatæ Belgicæ Ordinibus veniâ, tum visenda tanti animi Principis, tum promovendæ ejus alacritati ipsum tentare Septentrionem non dubitavit. Nondum sopiti erant Germanici tu-

Saxonia liberata.

a De his omnibus videri possunt qui de rebus his scripserunt ut Brachelius, ac omnium maxime Theatrum Europæum à Johanne Philippo Aktino inchoatum, & ab aliis continuatum. Edit. Francofurt. Item Pauli Piasecii Chronica Gestorum in Europa singularium Edit. Cracoviensis.

tumultus, & bellum, in quod Pater ob justissimas vocatus erat caussas, late per universam serpebat Germaniam. Principes, qui in Galliarum Regis & Protestantium Ordinum erant confœderatione, regiis victoriis Bohemiam ipsam atque Silesiam peragrabant: nec ulla pars fuit satis à suo tuta periculo. Ita ut tanta urgente necessitate coactus Imperator Ferdinandus III ad pacis se inclinarit studia, designatis Monasterio & Osnabrugis in Westphalia ad id locis: utrinque interea hostiliter cuncta agentibus. Solicitabantur in Moravia ad deditionem Brinna & Konigsgræcia. Fridlandia & Leutmerizia etiam cessit. Succedente inde in Torstensohnii locum Wrangelio, ductus ad Visurgim miles, & transmisso ad Huxteram flumine, in superiore Hassia ad Kircheimum posita castra, quod omne ei hostile immineret robur, auspiciis Melandri contractum. Auctæ undique copiæ, & ipsæ à Gallis submissæ suppetiæ. Commixtæ frequentes velitationes, & castrorum

Pacis quæsitæ conditiones.

Gallorum suppetiæ.

rum

rum sedes subinde mutatæ. Tentata Weteravia. Paterbornum, Lemgovia & Starberga primo in Westphalia impetu occupata: & in Franconia Nordlinga & Donaverda in fidem receptæ. Trajecto Danubio, & transitu per Raynam expugnatam in Bavariam facto, ipsa Vindelicorum Augusta gravi premebatur obsidione, nequidquam proficientibus Cæsarianis, qui in subsidium venerant. Posita in Suecia belli sede ipsa Brigantini lacus confinia tentata. Occupatum Brigantium & Insula Menavia. Lindavia duorum mensium obsidione pressa. Superato iterum Danubio remeatum in Franconiam. Fatigata Bohemia. Ad Ægram pugnatum. Factus in Hassiam impetus, & Marpurgum Landgravio subtractum. Reditum in Misniam & Thubingiam: nec Brunswicensi atque Lunæburgensi parcitum agro. Iterum in fædifragam irruptum Bavariam. Iunctæ sub Turenio Galliarum copiæ, & commissa Susmarchusiana pugna, in qua læthaliter vulneratus Melander, turpi fuga cessit victo-

In Bavariam impetus.

Occupatum Brigantium.

Irruptio in Bavariam.

Melander vulne-

tatus fugit. ctoriam, paulo inde ipse mortuus. Lyco & Isera transmissis capta Frisinga: multisque aliis locis expugnatis, aut quocunque jure in ditionem acceptis, tota intra Oenum Bavaria prædæ fuit. Revisa Bohemia, & ipsa Pragensis Arx cum tertia urbis parte intercepta. Quæ dum peregre fiunt, primum mense Januar. anno sæculi quadragesimo octavo convenit Monasterii inter Hispanum & Confæderatos Belgas, qui jam octoginta pene annos bellum gesserant. Inde mense Octobri Osnabrugi tricennale etiam Imperi bellum compositum, ubi delegati utrinque Commissarii, in pragmatica de pace sanctione conficienda, ultra quinquennium desudassent. Sequenti anno exauctoratio militum facta, & præscriptæ pacis conditiones datæ: pax ut sit perpetua; ut Reginæ Sveciæ, pro locorum bello occupatorum restitutione, præter Stetinum, & nonnulla alia ulterioris Pomeraniæ oppida, & præfecturas, tota citerior concedatur Pomerania, Insula Rugia, Wismaria,

Pragensis arx intercepta.

Pax inter Hispanos & Belgas.

Pax Osnabrugensis.

Pacis conditiones.

maria, Archiepiſcopatus Bremenſis, & Epiſcopatus Verdenſis: Locus in Collegio principum, ſcamno ſeculari, quintus, & privilegium de non appellando. Majorennis inde Regina faſces Regni ipſa corripuit. Inde ab Albi in Moraviam factus impetus, & ipſa Wratiſlaviæ ſuburbia prædæ habita. Miſſus in Holſatiam & Daniam miles ad impediendas Danorum machinationes. Biennio poſt Regina Holmiæ anno 1650 ab Upſalienſi Epiſcopo coronata: cum proceres ſeriò de inſtituendo agerent matrimonio inter Reginam & Carolum Guſtavum Palatinum Rheni, Guſtavi Adolphi Magni ex ſorore nepotem, in pleno aperte conſeſſu conjugalem negavit thorum. Ne tamen per omnia principum refragari votis videretur, eundem Carolum Guſtavum hæreditarium Sveciæ principem & ſucceſſorem dixit. Inde mox anno 1654, die 16 Menſis Junii ultro illi imperio ceſſit. Magnæ fuerunt coronationis ſolennitates, & inter illas dignus memoratu ſparſus

Regina Christina regni habenas in ſe ſuſcipit.

Christina Holmiæ coronatur.

Reſpuit nuptias.

Carolum Guſtavum Regni dicit heredem, & imperio cedit.

in populum nummus, qui ab una parte recens electi Regis referebat imaginem cum marginali inscriptione, *Carolus Gustavus Rex Sueciæ*, ab altera vero trium Coronarum oram claudebant hæc verba, *A Deo & Christina*. A coronatione proximus fuit supplicationis dies. inde gratiarum convivia. Ex legatis gentium primus fuit Lusitanus. Hujus gratulatio supra modum humaniter excepta; sed publicam hanc lætitiam Bremensium interverterunt discordiæ non ex voto respondentium Conincksmarchio. Offensus Rex his mille equitum, peditum vero sex millium exercitum parat: nec defuerunt qui ex privatis principum familiis propriis sumptibus integras pararent legiones atque cohortes, quas omnes Visurgim versus Wismariamque tenus transferre animus erat. Missi & passim legati. Comes Slippenbachius Francofurtum ad Consessum Deputatorum Ordinum, atque alios per Germaniam Electores: Rosenhanio vero datæ curæ, quæ in eam rem facerent,

Carolus Gustavus Rex creatur.

Bremensium discordiæ.

Expeditio in Bremenses.

Missi passim Legati.

rent, Viennæ exponeret apud Imperatorem atque eos qui Circulo Inferioris præessent Saxoniæ. Metus tanti apparatus inopinantes primum perculit Dantiscanos, arbitrantes victricia nuper Svecorum arma in Poloniæ gentis verti capita. Hinc reparatæ apud illos in defensionem munitiones, nec quidquam neglectum quod tutandæ faceret saluti. Bremenses interim suæ confisi causæ, ac ne quid de jure cedere viderentur, Koninghsmarkio Regis causam instantius urgente, apertam opponunt vim, ac die 7 Julii Veegensachium, situ & munitionibus opportunum expugnant. Magnus ibi rerum omnium bellicarum apparatus. Locum destruunt ac solo æquant: vicinosque omnes pagos hactenus refractantes in obsequium trahunt. Nec Konincksmarchio sua defuerunt studia. Hoc manum aliquantulam ibidem parante, Wrangelius advolat Wismariam cum comitatu septem navium: prodromus majoris subsecuturi ex regno subsidii. Habitis

Dantiscanorum metus.

Bremenses se Koninckmarckio opponunt.

Wrangelii Wismariam adventus.

inde procerum in Svecia consiliis, missus in Holsatiam Lindanus qui Principem Hedewigam in matrimonium Regi peteret. Comissam duxit per Regni Cancellarium Oxenstierna, quem cum trecentorum comitatu ablegaverat. Sequuti inde gentium Legati ex Gallia, Palatinatu & Polonia; sed quorum hic, ubi, inter alia gratulationis officia, simul exposuisset, Regem suum omni prætensionis jure in Regnum Sveciæ sponte cessurum, si in compensationem Livoniæ Ducatus, excepta Riga, vel Pomerania sibi tribueretur, cum aureo dimissus torque domum retulit, de pacti hujus conditionibus postea aliquando actum iri. Bremenses interim, primæ non obliti victoriæ ejusdem porro tentaturi successum, Duce Linthovelio, missis trecentis equitibus, atque peditibus fere ducentis, arcem expugnant Tegenhuysiam. Hanc demolitum vocati rustici, dum in instituto versantur opere, à subveniente Koninckstnarckio, Wrangelio

Hedviga Holsatiæ Ducis filia in matrimonium Regi ducitur.

Legati Polonorum petitio, & Regis Caroli responsum.

gelio & Steenbockio præsentibus, cum exigua dissipantur jactura. Miles Bremensis cordatius pugnans, amissis octoginta cæsis ac captivis triginta, Ducem suum tribus vulneribus saucium in Urbem retulerunt: Sed quæ nec Svecis incruenta fuit victoria, ut qui ex suis ad centum & sexaginta in hac pugna desiderarunt, inter quos Tribuni *Versenus*, *Breda* aliique. Auctæ jam Koningsmarckii copiæ accessione octo navium, quæ Wismariam primum venerant, duce Erwino Scoto, inde Stadam. Hæc cum Rottenburgum muniunt ad inhibendas ex Urbe incursiones, Bremenses, quo transitus Burgum versus tutior esset, intrepido excurrunt animo, & quo omnis hosti præcluderetur aditus, totam Hollerlandiam suis muniunt præsidiis, ductis etiam fossis, ubi accessus non difficilis. Præsidio caput fuit *Balthasar*. Per hæc tempora eorundem Tribunus *Ruysch* in Lunenburgensi ditione suis non caruit successibus: Svecicæ Cohortis Equitem.

Bremensium sterilis conatus.

Auctæ Svecorum copiæ.

Bremensium victoria.

tem universum profligat, ductis quadraginta quatuor cum Concapitaneo captivis. Hæc dum fiunt Svecorum Dux navibus Visurgi in Hollandiam descendentibus imponit manus; sed quibus sua mox abeundi concessa libertas. Sequutæ exinde inter Urbanos & Svecos variæ ac dubiæ satis vellitationes, quarum modo hi, modo illi victores. Initia Mensis Septembris Coninckmarchio sedem dedêre Masselæ, loco in colle sito ad Lesam. Hic nova Svecici militis ex Svecia & Pomerania augmenta. Ducta Burgum versus fossa, & erectum fortalitium. Conatum impedituri Bremenses universum aquis obducunt agrum. Irrito hoc conatu, Svecus in nova abiit consilia. Superata, per Holderlandiam, Ottersberga, atque vitato Burgo, per adjacentium extima pascuarum propius ad ipsam accedit urbem, quam multorum ferebant consilia. Jactæ tamen aggerum moles, & spatio unius horæ quatuor facti impetus. Perrupta valli munitio nequidquam nocuit civibus.

Variæ & ancipites vellitationes.

Bremenses agros inundant.

Brema oppugnatur.

civibus. Tanta Balthasari virtus fuit, ut cum quadringentorum Præsidio, cæsis octingentis, vim hostium universam repulerit. Superveniunt Legati, Brandenburgicus, Neoburgicus & Brunsvicensis, atque in eorum juxta comitatu ii qui Hamburgensium & Lubecensium nomine res jurabant publicas Monasterii. Rogant Bremensium Magistratum Burghtum in manus tradatur Svecorum: de reliquis se cum Conincksmarkio acturos in pacem & quietem Urbis. Itum in Legatorum pollicitationes. Negante singula Koninckmarchio, Burghtum ipsum per vim occupatum. Præfecti in Urbem dimissi. Omnis commeatus præda permagna. Ad vigesimum quintum inde ejusdem mensis diem datæ utrinque in duos menses induciæ illis conditionibus: Urbs sustentando Svecico militi decies quinquies mille adnumeraret imperiales: singula in capto juventa Burghto restituerent: pontemque Dohenæ amni imponere sibi licere, atque eundem præsidio fir-

Balthasari virtus.

Vicinorum Legati.

Burghtum occupatum.

Induciæ duorum mensium.

Suburbia demolita. firmare. Quibus impetratis. Bremenses ad sexcentos usque passus à munitionibus suis omnes ædificiorum demoliuntur structuras: nec ipsis parcitum hortis, qua tutior quoquo versum esset prospectus, atque urgentibus ita rebus, paratior civibus defensio. Missi tamen Mindam utriusque partis *Mindæ pax inita.* legati, ubi, laudato vicinorum interventu, quibus majoris metus erat periculi, *vigesimo octavo mensis Novembris, data pax & facta. Anteverterant pacem hanc die 14, ejusdem mensis Novembris, Regis Caroli Gustavi matrimonii *Holsatiæ Ducis filia Holmiæ coronatur.* Holmiæ, quo Regina cum quatuor appulerat navibus, solemnia: nuptiæ die decimo quinto, ac publica *Regis Polonorum litteræ.* sequente die coronatio. Submissæ mox litteræ à Rege Poloniæ Casimiro, per Mursteinium quarum sigillum excludebat insigne trium coronarum. Summa litterarum erat: *se desistere à Iure Svecico, & in hanc rem se proxime delegaturum.* Interim Holmiæ bellum in Polonos *Bellum paratur in Polonos, & causa.* decretum, occasione querelæ quam Rex ipse in Comitiis instituerat ob

vio-

violatam existimationem Regni à Casimiro & ipsiusmet fædifragium. Legatus ad Regem missus non admittitur: Re infecta discessuro subinnuitur, in Svecia credi litteras inscio senatu Polonico exaratas, atque exinde hac de re nihil agi posse. Per id tempus venit etiam Tartarorum Legatus, qui nomine Principis sui Regi Carolo & Regnum simul & juxta celebratas gratularetur nuptias. Idem factum fuit *Plettenburgi* eodem nomine à Cæsare ad eundem delegati. Polonus rem infectam edoctus institutum serius urget, destinato jam Legationi *Corayscio*, sed qui in ipso mysteriorum legationis apparatu obiit. Surrogati in locum ejus *Kobierski* Capelanus Gedanensis ut & *Biszynski*. Datæ insuper & ad Electorem Brandeburgicum litteræ quibus ad mediationem invitabatur, factis pollicitationibus Svecorum Regi in universum satisfuturum; nec quidquam aliud à Svecis desiderari præter Oppelensem & Ratiboriensem in Silesia Ducatus, sibi, nomine defuncti fratris

Poloniæ Regis ad Carolum Legatio.

Wla-

Wladiſlai, relictis, quibus tamen adeo avide inhiaret Svecus. Addita etiam hæc conſilia, prædictos Ducatus in tanta apud ſe haberi exiſtimatione, ut, priuſquam illis cederet, malle, quibuſcunque conditionibus, ſe cum Moſcovitis paciſci, aut facta cum Coſacis amneſtia, eoſdem in ſuas pellicere partes. Data à ſuis Sveco arma, miles & claſſis. Riga ab omni inſtruitur commeatu. Idem fit juſſu Regis Dantiſci. Miſſus in Livonia exercitus Duce *Magno de la Guarde*, Regis Svecorum affine, & Campi ductore *Leewenlovio*, qui Byrzam primum, inde occuparunt Duneburgum, locum ad Dwinam flumen ſitum. Rebus ibi apprime curatis, Rex ipſe conſcenſa triginta quatuor navium claſſe, cum comitatu quindecim millium exercitus Stetinum appellit, Straleſundam atque alias Pomeranici littoris oras. Ubi pedem in terram ponit, primum Dantiſcum mittit, qui promittat nihil ſe hoſtilis adverſus urbem tentaturum, ſi, neglectis partium ſtudiis, ſua tantum cura-

Apparatus bellicus.

Byrza & Duneburgum occupantur.

Rex ipſe venit in Pomeraniam.

curata vellent. Actæ Regi gratiæ; sed se fideli obsequio Polonis obstrictos bello fortunam experturos responsum à civibus. Quod cum indignanter accepisset Carolus, datum *Wrangelio* in mandatis, ut portus urbis clauderet, atque omnia interverteret commercia. Metus qui exinde totam occupaverat Poloniam tantus fuit, ut septimo cuique necessitas imposita fuerit pro Rege militandi, quicunque regni clauderetur limitibus. Electum habendis comitiis Thorunium, quibus interfuit Rex ipse. Gysius militiæ Dux à Polonis scriptus, cum maxima quæque moliretur, sine milite sine armis ac belli errabat nervis. Missi à Carolo & ad Brandeburgicum *Alexander Eskius* atque *Wittenbergicus*, qui transitum impetrarent per Borussiam. At is cum hostem in suo ferre meditullio non posset, exaratis litteris ad ditionis suæ civitates masculè singulas hortatur, arma parent ac proximo invigilent hosti. Moniti ab eodem & Dantiscani, propugnaculo suo Termundæ mature

Dantiscanorum in Polonia Regem fides.

In Polonia septimus quisque legitur in militiam.

Brandenburgicus transitum negat per Borussiam.

ture profpicerent. Occupaverat idem pavor Brunfvicenfes & Luneburgenfes, nec metus defuit Hamburgenfibus, qui conducto recenti milite belli dubiam adhuc omnes expectabant aleam. Initio Maji miffus à Sveco qui Archiepifcopo Gnefnenfi, Primati Regni, litteras offerret Loricii, ipfi tradendas Regi. Interpretatum bellum indici, non fignificari pacem. Hinc tentati Cofaci fub conditione omnium immunitatum, quarum caufa natum fuerat bellum: à Mofcis deficerent, & fuas fequerentur partes. Menfe Julio habitus à Sveco militiæ cenfus. Juventus decies fepties millium numerus. In Polonia vero omnibus indicta arma: quibus accefferant quatuor Palatini cum parato quindecim millium exercitu. Sveci ubi pedem ex Pomerania moviffent, Wittenbergicus, convocatis militiæ præfectis, monet: *Recentem effe hoftem in quem bellum moveant, & alius ingenii quam cum quo hactenus bellum geffiffent. Frangi tamen animum poffe, fi ftipato re-*

Caroli ad Archiepifcopum littera.

Tentantur Cofaci.

Wittenbergici ad militem oratio.

fiftant

sistant agmine; incendi ubi ad vociferationes terrore dissilierint. Facto inde aliquo itinere *Draheymum* occupata, quam panico metu deseruerant Poloni. Progressum inde ad fluvium usque Notecz, cujus ripam Polonicus occupaverat exercitus. In hunc facto Sveci aliquantulo tormentorum impetu, ab invito extorquent hoste tubicinem, qui pacis offerat conditiones. Quibus concessis, Caliszensem & Posnaniensem Palatinatum sine vi in deditionem accipiunt. Sequuta ipsa Urbs Posnania, quæ exitium suum centum millibus imperialium redemit. Inde Carolus Rex ipse ad Ducem scribit Moscoviæ, Lithvaniam atque Curlandiam ab armis intactam habeat, ut suæ tutelæ commissas: satis sibi terrarum esse ultra Borysthenem, quas curet, quapropter, majoribus obviam iturus malis, in eas cum suo redeat exercitu. Displicuere datæ cum imperio litteræ. Responsum tamen, primum se in armis fuisse, atque exinde primo se jure gaudere. Scriptæ & ad

Svecorum progressus.

Caroli ad Moscoviæ Ducem literæ.

Moscovitarum Ducis responsum.

ad Imperatorem litteræ, quibus exponebantur causæ ob quas parata essent in Polonos arma. Harum maximæ fuêre, illatæ sibi sæpius à *Joanne Casimiro* injuriæ. Nec sua interim defuit Cosacorum rabies, cunctæ tribuens libidini: non communibus parcitum fortunis, nec splendidissimis quibusque oppidis: quorum ultimæ fortunæ, deprædatiónes ac flammæ. Horum singula dum universam gentem Polonam acerbius habent, Vittembergicus suas auget copias: *Dunderstadius* præficitur Polonis. *Naumanno* Calisiensis data provincia. Occupatum inde *Wilhelmstadium* non inelegans oppidum: indeque maxime tentatum quod proximum in Poloniam aperiret tramitem. Præmissi qui singula tentarent *Steenbockius* & *Lindanus*, Rege ipso non cum exigua manu insequente. Data in potestatem *Branberga*; sed *Kalisziam* vi expugnatum. Ex dissipatis hinc polonicis cohortibus ultra centum desiderati. Patulum *Warsaviam* versus iter. In quo à Poloniæ Rege submissus *Christophorus Prezіemscius*

Cosacorum rabies.

Legatio Poloniæ Regis ad Svecum.

cius hæc apud Svecorum Regem deposuit mandata: *Serenissimum Poloniæ Regem non sine admiratione stupere ad tam inopinatam Svecorum in Poloniam invasionem, etiam post sæpius oblatas pacis conditiones: nec quas alias subesse causas suspicari, quàm vel invidiam Gentis suæ in Regem tentari, vel opimæ Regni inhiari prædæ, aut aliquam rerum gestarum gloriam apud seram parari posteritatem. Quorum tamen singula sterili niterentur fundamento, exinde quod Poloniæ Rex neque offensæ quidquam bello dederit, neque in animum suum inducere possit, Principem tot bellorum successibus clarum ultimò pecuniarum studio inductum, suum petere regnum tot tantorumque hactenus hostium prædis expositum atque rapinis. Nec ad gloriam quidquam victricis facere gentis, maximis jam injuriarum calamitatibus diu fatigatas peti regiones, unius imperio nihil profuturas, religione, legibus, lingua, moribus atque vestitu à suis discordes. Quare conversis aliò armis, ad pacis instituta animum componeret suum, deprecanti populo optatam non negaret tranquillitatem, & si quæ aliæ ex usu suo essent*

Christophori Przeziemscii ad Regem Svecorum Legatio.

sent conditiones eas exponeret: prompta esse principi suo consilia in eas quoque descendendi: in penitiora regni sui ferocientem ac jam vastantem cuncta non immitteret militem. Rex auditis per Beerenklavium regessit: *Se non magis unquam obstupuisse quam ad ea quæ sibi exponerentur. Stuporis causam fuisse maximam, quod nunc demum & Polonorum Rex, & cunctus universim Senatus causam expiscetur belli, cujus non datas tantum rationes totus jam approbavit orbis, sed & sedandi se authorem pluries esse voluerit. Hanc summam esse dicendorum quæ Regi suo referret.* Data tamen colloquii interstitia: per quæ cum injiceretur à legato polono Stetinum remotius esse, quam pro re nata de publica ibi agi pace possit, quod duodecim tantum militarium spatio regum disside-rent castra, Rex ad ea Gustavus composito modeste ad risum vultu, *quoniam*, inquit, *tam compendioso mihi ad cognatum itinere rei maximæ difficultatem componere licet, dabo operam ut obsequia sentiat mea, atque eum juxta humanitatem per*

Responsio Regis Svecorum.

quam ei mihi obviam venire liceat. Data legato discedendi venia: qui regio egressus cubiculo comitem habuit *Beerenklavium*, rogantem ut, quæ verbis apud Regem exposuerat, scriptis juxta relinqueret mandata, quò Caroli mens in datis ad regem Poloniæ litteris aperiretur dexterius. Dictum, factum. Profecto in patriam Legato, Nobilitatis in inferiori Polonia ordines, serius quàm par erat ad arma consurgunt. Posita ad ripam Vistulæ castra, quæ Moscovitarum simul & Svecorum opponerentur exercitui. Miles polonus imposito parebat *Gonsievio*, quo invito res Lithvanicæ cum *Ianusio Radzivilio* compositæ. Sequutæ vellitationes, duce *Kludzinio* & *Grodensi Palatino*, parva manu trecentos sustulerunt Svecos. Non exiguus inde Polonis successus. Rex, desertis Warsaviensibus sedibus, festinanti Cracoviam perrexit itinere, datisque mandatis ut quam maximus fieret exercitus, etiam hunc amisit qui quantuluscunque ad Marienburgum collectus fuerat,

Inferior Polonia ad bellum paratur.

Ianusius Radzivilius componit res Lithvanicas.

renitente milite & imperium abnuente *Weyeri*. Magnus inde Regi metus privatos etiam tentanti thesauros. Resumpti tamen animi & Minor petita Polonia. Habitus militiæ census, & dati illius duces *Palatinus Russiæ*, qui primas inter duces haberet partes, ut & *Czarneccius*, qui proximas illius tueretur partes. Submissa interim ex Svecica classis, ubi ad *Wolgastum Stetinumque* multum exposuisset

Vistulæ clauduntur ostia.

militem, ipsa ad Dantiscum inter ostia constitit Vistulæ. Imperat omnibus navibus ad singula onera centum imperialium census, Solis data Anglis venia tuto veniendi remeandique, Dantiscani oneris injurias haud ferentes, quò sterilis ultro fatisceret classis, omnia

Dantiscani parant arma.

inhibuerunt commercia, conversoque ad defensionem animo, quidquid ad sui tutelam requirebatur, prompta aggressi manu singulis incubuerunt alacriter. Additæ fortalitiis manus, & civium quisque proximis imbutus armis. Nec quisquam erat cui parceretur: tam sedulus cuique in sui tutelam ani-

animus! Mirari hic licet inter pacis ſtudia tam ferventem belli apparatum, ipſumque redivivum quaſi redire Martem, qui ſperatam ante pacem non ſiniſtre ſuis pollicebatur civibus! Mota Svecorum caſtra verſus *Poſnaniam*, *Sabotam Lavitzium*, quod ultro ſe in hoſtium tradidit manus, ubi fugientium ſeptingentos ſuorum currus in manus eorum veniſſe didiciſſet. Urgentibus ita hoſtibus Poloniæ Rex exiguæ ſuorum diffiſus manui, relicto aliquantulo Warſaviæ milite, cum reliquo ſe exercitu contulit Cracoviam. Hunc Rex Guſtavus feſtinanti intercepturus itinere ſuum miſit *Wittenbergium*, qui paucorum dierum interſtitio fruſtra ſeqvutus regem, in ipſo itineris compendio ad Viſtulam *murium* occupavit *turrim*: impoſitoque quingentorum præſidio ſine ulla difficultate occupavit Warſaviam. Ingens hic bellici commeatus præda, in quo centum juxta & quinquaginta majora tormenta bellica. Paucis inde diebus Rex ipſe Guſtavus caſtra ſua in Cracoviam

Polonorum Rex deſerit Warſaviam.

Præda ingens.

movit. Verum ubi in itinere intellexisset Polonorum regem cum quindecim millium exercitu, fixis ad Radzovicum hærere castris, firmum fiduciâ committendi prælii, præmissis qui Polonorum tentarent vires, ac initis suis velitationibus de rerum se certiorem facerent successibus, cum explorasset nequidquam suorum defore virtutibus, superatis quorundam locorum difficultatibus, universum ita in aciem dispofuit militem, ut nullus superesset metus; quin & spem conciperet, maximis quibusque rebus suis ultimam victoriarum adfore gloriam, recta in hostem tetendit via. Commisso prælio Rex hostem conjecit in fugam. Sequentibus insectandi occasionem præclusit imbrium tempestas: qua paulatim conquiescente, novi redierunt animi, & recens prædæ cupiditas: quæ non prius in comitantibus substitit, quam ad ultimas hostem incitas redactum in ternas divisum conspexisset partes. Parti, quæ sinistram claudebat aciem, Rex præfuit ipse:

Poloni in prælio fugantur.

ipſe: reliquæ duæ cum tranſitum per paludes tentarent, non niſi cum quingentorum diſpendio trajecerunt. Ex his cum nonnulli Regem fuga ſibi conſuluiſſe ſignificaſſent, data inſequentibus mandata, ne fugientibus parceretur: Regis captivitatem aut profligatos in fuga hoſtes gloriæ ultimum fore decus. Nec conceptæ ſpei ſui defuiſſent ſucceſſus, niſi vel ingruens nox obſcuris obfuiſſet tenebris, vel avida prædæ militum manus, quæ in centum inciderat currus, omni inſtructos commeatu, ab incepto revocaſſet militum. Interrupto hic datum aliquid furori, ſed cui non niſi ad diluculum torpere licuit. Datis inde ſignis recta progreſſum Cracoviam, ubi Clepariana Suburbia, ut civium defenſioni noxia, inter flammas conſpecta. Poloniæ rex, qui in urbem confugerat, prævia nocte, eadem urbe relicta, Nuyſam ſe ad Reginam contulit. Hæc dum fiunt nunciatur Regi Svecorum paratam trans Viſtulam polonæ nobilitatis manum, quæ datas ſibi ulciſceretur

Rex Poloniæ fuga ſaluti ſuæ conſulit.

Centum currus capti.

Cracovienſes ſua cremant Suburbia.

Poloniæ rex fugit.

tur injurias: cui mature occurſurus Rex cum delectis equitibus trajecit flumen. Poloni non expectato hoſtium adventu occupatas ultro ante conflictum ſuas deſeruerunt ſtationes. Fugatis ita hoſtibus reliqua ad urbem relicta Svecorum manus quod ſuperfuerat Caſimirianum occupavit ſuburbium, & cum porro ipſa tentaret mænia, per immiſſas in Stradronam, ſuburbium itidem eſt loci, flammas, amiſſis qui non exiguum faciebant numerum, ad vota non prius aſſurrexit ſua, quam extincto incendio novos ſibi pararet ſucceſſus. Non incruenti utrinque conatus. Hos victoriæ inſtigabat gloria junctaque prædæ cupiditas; illos vitæ fortiſque tutabatur conditio. Illos terrebat metus; hos concepta in animis fovebat ſpes. Unde facti in urbis mænia impetus, tormentorumque ictibus perforatus murus ternis aggreſſionibus patulam, ſed irritam, fecit viam. Virtuti datum civium. Svecus tentatis omnibus viis, quo rem compendioſius perficeret, tres ex Senatorio ordine viros, ut

Poloni deſerunt ſuam ſtationem.

Svecorum ad Cracoviam clades.

Cracovienſium virtus.

& Sub

& Subcancellarium regni, Cracoviæ tunc inhabitantes, in ſuas pellexit partes, qui urbem proderent. Re palam factâ, omnes publicè capite plexi. Poloniæ rex deſperatis rebus Cracovienſibus, relictiſque quæ in uſum eſſent mandatis, propero itinere Nuyſam, atque inde ad Bugi fluminis ripam, quæ in Boruſſiam ducit, decurrit: collectoque militi *Negelinum* imponit. His Rex Svecorum intellectis, cum ſuo equitatu Viſtulam verſus movit, trajecturus fluvium niſi impetus prohibuiſſet Polonorum, qui ex oppoſita fluminis parte frequentibus hoſtem arcebant jaculationibus. Hæc dum fiunt, altera per inferiorem Poloniam collecta manus, novies millium conſtituens exercitum, occurrit Steenbockio, qui tot dextris fretus ſucceſſibus, licet paucum haberet militem, intrepido tamen aggreſſus animo, univerſum profligavit hoſtem, cæſis ex eorum numero quadringentis. Interim *Wrangelius*, cui claſſis ad Dantiſcum commiſſa fuerat cura, expoſito in terram ali-

Proditores Cracovienſes capite plexi.

Svecorum Rex fugientem perſequitur Polonum.

Wrangelii ad Dantiſcum irritum factum.

aliquantulo milite, ac sumptis secum quibusdam tormentis recenti incubabat molimini. Erat haud procul à littore munimentum cui *Porsio* nomen. Id frequentibus suis obstàbat conatibus. Unde ratus si illud in suam redegisset potestatem, proniorem sibi ad Urbem futurum successum. Hoc igitur tentandi animum induxerat, milite jam satis ad id firmato, nisi præclara Palatini Weyeri obstitisset virtus, quæ sexcentorum eum robore aliorumque incolarum numero speratos elusisset successus, ita ut re infecta, & amissis non paucis, in naves redire coactus fuerit. Sed hanc jacturam alia Svecorum pensarunt arma, quæ alibi *Brambergam* occuparunt, *Dirszviam*, *Mevam*, *Sargartam*, *Schonecam* aliaque inculti nominis oppida. Imperata adhæc tributa, ni mallent quindecim millium experiri manus. *Constianum* vi expugnatum: cæsi omnes qui arma ferrent sexcenti, in ultionem interfecti *Forbi*, qui Svecis præerat, quemque Cleri fraus sustulit, &

Weyeri virtus.

Svecorum victoriæ.

Svecorum sævitia & ejus causa.

Frede-

Frederici Hassiæ, quem ad repagula, quamvis à Polonorum esset partibus, per ignorantiam globo trajecerant, defunctique cadaver occuluerant. Inde tria Svecorum milla occuparunt *Guricum*, eoque cives adegerunt, ut, quos interfectos à se Svecos sepelierant, eosdem, refossis sepulchris, reconderent in templis. Reliqua data prædæ, ac quater mille floreni pro censu imperati. Tentatum inde *Corelinum*, & magna pecuniæ summa in mulctam accepta. Quæ pars Svecorum ad Cracoviam substiterat partibus haud defuit suis, quamdiu Svecorum rex in sequendis occupabatur polonis. Obsidione cinctis præfuit *Czarnecius* & *Wulfkius*. qui paratiori defensioni valida passim per urbem subruerunt ædificia. Adventante rege Carolo novi resumpti animi, dataque mandata ut obsessos urgerent fortius, recentique impetu singula tentarent acrius, ne quidquam speratis detraherent successibus. Subterranei ergo facti cuniculi, quibus urbis subruerent mænia, ac

Guricum expugnatum, & quid Sveci ibidem fecerint.

Czarneckius & Wulfkius præsunt præsidiis Cracoviensibus.

vastæ turrium exstructæ moles majoribus ferendis aptæ tormentis, tantaque omnium in expugnanda urbe studia, ut de pace agere coëgerint obsessos, quæ his data conditionibus. *Romanam religionem sartam tectam futuram, omniaque bona Clero tuta sub fide tamen & obsequio regis Svecorum. Cracoviensi nobilitati liberum fore vel alio quovis discedere, vel in tutela Svecorum agris gaudere suis: reliquos nobiles omnes ad ipsius regis arbitrium futuros. Civibus Cracoviensibus jura sua tuta fore: Academicos reditus intactos mansuros. Præfectos cum suo exercitu ad consvetos militiæ mores sine fraude ac dolis exituros: si non militarent Polono, Sveciam reliquis præferrent militiam. Rusticis domos suas repetere licere; non tamen unquam in Svecos quidquam moliri. Qui ex familia essent Regis intemerata fide liberos & tuto dimissum iri. Svecorum captivos liberatum, Moscovitarum verò in carcere detentum iri. Arcem fluvio Wistulæ muniendam, quò sit oppugnatu difficilior.* Præstitis conditionibus cives Cracovienses tre-

Conditiones initæ deditionis cum Cracoviensibus.

cen-

centa imperialium adnumerarunt millia. Urbis præfecturæ impositus *Wurtzius*. Ita deperditâ Polonorum metropoli, ipsa regni corruit gloria viresque quibus in tutelam quondam Christiani orbis contra barbaras quasvis fuit gentes. Spectabat hæc omnia Danus; sed non sine alicujus metu periculi. Confæderati Belgæ suis pavebant laboribus. Borussia ex vicino incendio proximas metuebat flammas. Sed & Cæsarea interim Majestas suis non liberabatur curis. Prudentior Moscovita. Anglus singula veluti è specula prospiciebat tantum. Attonitis ita ad factum gentibus, Rex Svecorum Carolus Gustavus suos passim misit legatos, qui singulos principes suscepti belli docerent rationes. *Benedictus Oxenstiernius* missus in Daniam, in Lusitaniam *Guldenklavius*, & *Christianus Bond* cum *Niellio Brache* in Angliam: quin & Vienam aliquis fuit delegatus, qui ex datis ad Imperatorem litteris ejusdem belli redderet causas. Casimirus interim Poloniæ rex in minori Glogavia

Deploratus Polonorum status.

His in rebus vicinorum principum consilia quæ.

via suum augebat exercitum, missisque ad Tartaros & Cosacos legatis, novis institutis de pace agebat. Magna hic *Avogurtii* cura fuit, Christianissimi Gallorum Regis Legati, qui continuis itineribus Svecorum Polonorumque reges, ut & Brandeburgica fatigabat castra, quæ tribus Torunio distabant milliaribus, quæsitis semper rationibus, quibus incensæ componerentur flammæ; verum quam exiguo cum successu, protracta satis docuerunt arma, quibus confisus regis animus novos in dies augebat impetus, nequidquam ab illis dehortante *Starrenborgio* Cæsareæ Majestatis Delegato. Expugnatâ Cracoviâ Rex recta tetendit Warsaviam, atque inde Thorunium. Polonus præmisit *Radziejevium* & *Steenbekium* cum aliquo comitatu, qui cum Svecis ante suum adventum agerent, sed hi in transitu occuparunt *Strasburgum* præcipuum Borussiæ munimentum. Sequuta inde octo equitum millia, & peditum quatuor appulerunt Thorunium. Hic quæ

Avogurtii Galliarum Legati in conciliandis regum animis cura

Starrenborgius Cæsaris legatus.

Missi à Polono legati qui cum Svecis agerent.

quædam ſed fruſtra à Radziejevio acta. Quamprimum rex ipſe Svecorum advolavit, Thorunium ſe ultro ejus ſubmiſit arbitrio, admiſſis in præſidium mille & ducentis militibus, ubi ante vix quadringentos in ſui tutelam à Brandeburgico cupiviſſent.

Thorunium occupatum.

Motis inde caſtris ad Wilanum mille & ducentos proſtrarunt polonos: facta ingenti pecuniæ præda, quam colligendo ſecum habebant militi.

Polonorum ad Wilanum clades.

Soluta quoque ad Dantiſcum claſſis, tum ob frequentes procellarum injurias, tum quod ſterilis illius eſſet mora.

Claſſis navalis ad ad Dantiſcum ſolvitur.

Rex Carolus inde Thorunium ingreſſus, peractis gratiarum ſacris ſe contulit in Curiam quam inhabitaret. Hinc miſit Marienburgum & Elbingam petitum ut in ſuas jurarent partes. Miſſæ & Dantiſcum litteræ, ut exercitum ſuum exciperent Cleydani: vigeſies centena contribuerent millia: ſe ſuum agnoſcerent regem, ac in fidei obſequium Wyſſelmundam in ſuas traderent manus. Mox Cæſarianis, Tranſylvaniæ Ducis atque Moſcovita-

Litteræ à Rege Dantiſcum miſſæ.

rum auditis expeditisque legationibus, se contulit Reedam, ubi, positis in biduum castris, *Somnitzium* excepit & *Doddelsinium* Brandenburgici Electoris legatos, quibus juncto *Tottio*, qui de pace cum illis ageret, ubi comperisset ad rem pertranctandam non satis idoneè instructos, res infecta abiit. Mutatis inde sedibus, *Gvardium* & *Leeuwenhovium*, per Liflandiam militiæ imperitantes, cum parte copiarum ad se evocavit: continuatoque itinere Elbingam his recepit conditionibus: *Elbingenses abjurato rege suo, in suam fidem jurarent. Juramenti tempus ex regis penderet arbitrio. Avita sibi retinerent privilegia. Sumptus facerent in bellum contra polonos, sine molesto tamen gravamine. Reliqua ex usu essent omnia Regis & Civitatis.* Dati sexcenti sexaginta quinque præsidio sub auspiciis *Laurentii Lindani*. Misit inde ad Brandenburgicum, qui *certis conditionibus munimentum Pillava & Juxta Memelam sibi traderet: offensa atque defensionis partes susciperet contra quoscunque*,

Brandenburgici ad Svecum legati.

Guardius & Leeuwenhovius ad Regem ex Liflandia evocati.

Elbinga Sveco tradita, & quibus conditionibus.

Legati ad Brandenburgicum missi.

qui

qui hostilia induxissent arma, etiam Polonos: paratam militiam in suas traderet manus: Balthici maris imperium in se tantum duos reciperent; sed cujus à se tanquam potiore dependeret: atque inde initis pacis conditionibus cum confœderatâ valediceret Belgicâ: Ducalem & Regalem Borussiam æterno successionis jure familiæ & domui Brandenburgicæ relictum iri. His cum ex voto responsum non esset, junctus Gvardio & Radzivilio, cum universo exercitu movit Regiomontum, verum alio itinere, quam quo adventum ejus expectabat miles Brandenburgicus sedecim millium armatorum. His Brandenburgici auditis, motisque castrorum sedibus, se itidem contulerunt Regiomontum in subsidium sui principis, qui ibidem cum decem millium exercitu, totidemque civibus, in tutelam præerat urbis. Non aliam Sveci uberiorem rebus suis invenerunt stationem. Missi ad Electorem qui de bello agerent componendo: item & Regis frater *Adolphus* cum *Steenbockio* qui tentarent Marienburgium.

Radzivilius se jungit Svecis.

Marienburgum tentatum.

gium. Responsum à Spaario & Palatino Weyero res sibi tutas non nisi hostilia polliceri hostibus. Ad Regiomontum cum cuncta operosè molirentur Sveci, nec singula pro regis responderent votis, alia tentata via, ut fraudibus perficeretur, quod apertis non posset armis. Inventus qui urbis incenderet armamentarium, sed frustra. Deprehensus in dolis miles effecit, quod civibus ademptæ sint urbis claves, & singuli in recens fidei juramentum cogerentur. Tanta inde Electori cura, ut etiam ipse nocturnas visitaret excubias; sed quæ non minor fuit Svecorum etiam regi, qui per solertissima quæque ingenia civium solicitabat animos, inque Electoris concitabat dispendia. Tentata res frustra abiit. Per felicia hæc arma Svecorum Regina rediit Holmiam, ubi ex primo partu filium edidit *Carolum*. Magnarum lætitiarum plurimæ solennitates. Pax inde sequuta cum Brandenburgico, verum conditionibus non ab omnibus probatis, maxime qui vel Electoris arma sequebantur, vel

Sueci per dolos occupare cupiunt Regiomontum.

Regiomontanis ademptæ claves & novum impositum juramentum.

Svecus sollicitat animos Regiomontanorum.

Regina Svecorum peperit filium Carolum.

vel qui potissimi erant ex nobilitate; illi quod metuerent sinistri quid sub illis latere, hi quod se insciis transactum esset. Missus post Caroli affinis *de la Guardius* Rigam, qui armata militum manu universam Liflandiam à Moscovitarum defenderet injuriis. *Boguslaus* autem *Radzivilius*, qui potissimus ex magni ducatus Lithvanici nobilitate princeps est, defuncto Janusio Radizvilio, supremo Lithvanicæ militiæ præfecto, rebus non satis confisus suis, Regiomontum venit, ubi ab Electore, consobrino suo, maximis exceptus honoribus. His temporibus turbatiores per Borussiam res gliscere incipiebant, & jam in turbas satis proclives. Non deerant ex subditis, qui mussitarent non satis dextrè principem Electorem cum suo egisse rege; quin & ex ipso nobilitatis ordine, qui dicerent, factum perfidiæ atque perjurii non carere suspicione: potiorem esse Dantiscanorum laudis gloriam, quod regi suo constantiores non ad exemplum deficerent Electoris. Inge-

Boguslaus Radzivilius venit Regiomontum.

Borussi indignantur Electori.

gemiscere se tamen ad extremam Borussiæ calamitatem, quæ anteverti posset, si incorrupta principis in regem mansisset fides. Sed quæ ut inconsulta nequidquam prudentissimum moverunt Electorem, haud ignarum temerariam plebeculæ maledicentiam nihil principum detrahere virtuti, ut quæ publicarum inscia rerum ne propriis quidem possit superesse rebus; principis autem esse ita communibus invigilare rebus, ut ex privatorum fortunis de suis judicare possit successibus. Tentatus inde ad Balthicum mare viculus *Putzko*; sed irritum cujus conatum polonici virtus ita elusit præsidii, ut Steenbockius, qui author moliminis fuit, retracto cum suis pede turpissimæ se commiserit fugæ. Eadem mox fortuna fuit *Dubaldi*, Termundæ ante, fortalitii Dantiscani, gubernatoris, qui, ubi ex Dantiscanorum ad Svecos fide profugisset, immane quantum non minatus fuerat civibus! Nam cum ad eundem viculum suas exercere vellet vires, id primùm

Elector Brandenburgicus nequidquam movetur rumoribus maledicentium.

Steenbockius ad Pulzko profligatur.

Dubaldus ad Svecos transfuga & misera ejus conditio.

mùm didicit, paratam omnia vindicantis Dei in perfidos manum, ac mox laudata à principibus viris proditione, ipsos tandem proditores ab iisdem deteſtationi haberi: unde ſeqvutis omnium indignationibus vix apud ſingulos ullius cæpit eſſe exiſtimationis. Rex ipſe Svecorum Carolus, ne ſolitam militum ſuorum curam depoſuiſſe videretur, ingruentibus maximè hyemis injuriis, per miſſos ad Anglorum mercatores Hamburgum cum iis convenit de mittendo in caſtra ſua panno pro centum ac quinquaginta millium florenorum ſummâ. Res omnibus grata, ſingulis novum addebat animum. Dantiſcani interim ſive melioris defenſionis causâ, ſive invidiâ fortunarum, quibus florebant Suburbani cives, quique ſuperbis habitationes ſuas ædificiis, & templa ſplendido adornarant cultu, ſua ſubruere inſtituerunt ſuburbia: ac datis inde mandatis miſerunt qui, immiſſis undique flammis, cuncta vaſtarent. Neronianum hic videres auſum, & illam populi inhabi-

Suburbia Dantiſcanorum diruta.

bi-

bitantis calamitatem, quæ non Romanæ illi reſponderet, cum deplorandis ſingula deſtruerentur incendiis. Cui acceſſit calamitati, quod fugientibus intra mœnia nec tecta concederentur quibus ab aëris tutarentur injuriis, nec in domos erepta flammis reciperetur ſupellex; ſed per apertas palantes omnes agerentur plateas, nec ulli eſſent qui ſociorum miſerti quæcunque humanitatis teſtarentur officia. Tantæ indignationis fuit in conſortium civitatis peregrinas ſuſcepiſſe religiones, aut admiſiſſe eos qui alienigenæ ad urbis aſſurgere non poterant privilegia! Huic tamen miſeriæ prudentiſſimum poſtea ampliſſimi magiſtratus ſuccurrit conſilium, quod, reputatâ deploratorum jactura, quæ ad tricies centena florenorum ſummam æſtimabatur, publice mandavit, ut cuncti, homines ſe memores, ab immani illa arcerentur barbarie. Inde Svecorum rex Carolus multas ob cauſas, ubi moviſſet ex Boruſſia, omnem militiæ commeatum Viſtulæ im-

Miſera ſubarbanorum conditio, & civium Dantiſcanorum inclementia.

Magiſtratus Dantiſcani clementia.

Carolus Rex Svecia ex Boruſſia redit in Poloniam.

impoſitum, adverſo in poloniam flumine tranſmiſit, tum ut ultimas poloniæ perluſtraret oras, tum ut ejuſdem regem Joannem Caſimirum (quem famá inaudiverat maximam ad Leopolim comparaſſe manum, ac jam nonnullos Svecorum in Cracoviam urbem repuliſſe) toto penitus ejiceret regno. Peracto hoc tridui itinere, trajectoque ad Caſimirium flumine, haud procul Lublino ad Woſtovicum occurrit Czarneccio, cui octoginta aderant vexilla. Inſtructa mox acies, ac dextrę alæ profectus Joannes Adolphus regis frater, ſiniſtræ Wittenbergius, reliquum militiæ corpus ab regis ipſius pendebat nutu. Nec impiger polonus dextram penitus diſſipaſſet alam, niſi parandę rex medelę ſuâ ſuccuriſſet manu. Receptis unde animis ſtrenuè pugnatum. Duglaſſius, ahenei inſtar muri, urgentibus fortiſſime polonis ne unguem ceſſit. Amiſſis hic quibuſdam, & diſſipatis nonnullis, poloni ſylvarum ſe commiſerunt latebris: duodecim polonorum capta in prædam vexilla,

Occurrit Czarneccio, & Svecorum acies.

Duglaſſii virtus.

Turpis Polonorum fuga.

tan-

tandem Svecorum manibus Warsaviam delata. Hæc ultima Sandomirianæ nobilitatis gloria, qua imperio sese submisit Svecorum. Cui confisus victoriæ ex Carolus, eodem in itinere, nihil resistentibus civibus, Lublinum in suam redegit potestatem. Facta promissione triginta millium florenorum in pensionem tributi, paratam militis à prædâ cohibuit manum. Pervicax adhuc Quartianorum erat manus, quæ repudiatis Caroli regis pollicitationibus, etiam in libertatis spem datis, ex obsequio poloni pendentes, auxiliares suas copias Samoyscianæ adhibuerunt obsidioni. Qua durante Czarneccius recentes collegit copias, indignantiumque Iesuitarum factio aliâ paratâ rusticorum per Silesiam manu, duce Lantskronovio, non parum graves Wittenbergio & Duglassio fuerunt. Czarneccius item alias postea Svecorum dissipavit copias, quas recentes *Magnus* ex Liflandia in subsidium miserat regis. adeo ut per aliquod temporis hic interstitium, exigui admodum

Lublinum occupatum.

Quartiani respuunt Caroli pollicitationes.

Poloni Wittenbergio & Duglassio graves.

dum

dum, aut penitus ſteriles regis fuerint progreſſus. Soluta quoque Samoſciana obſidio, quod imperterriti animi præſidem habuerit. Fruſtra poſtea tentata Iaroſlavia, quam firmiſſimo Poloni præſidio munierant. Ita multa fruſtra Svecorum abierunt inſtituta. Biduo poſt inde Rex pervenit Wartam, unde ad Badenſem Markgravium litteras dedit, quem ante in Polo- niam miſſum trium millium auxit exercitu, qui ad Warſaviam ſuis in ſuppetias iret; ſed quem inopinatò aggreſſi Poloni ad Czirkoviam penitiſſimè profligarunt, exceptis pauciſſimis qui ſuſcepta Warſaviam fuga ſaluti ſuæ conſuluerunt, & ex his Marckgravius Badenſis, Comes Slippenbachius, & Philoſomus à penitioribus ſecretis regis, qui in arcem Czirskovianam ſuum ſumpſeruut profugium. Super hæc miſſis rex ad ſuos legatis, maximè clariſſimos militiæ ſuæ præfectos monuit, in locis tutioribus rebus conſulerent ſuis, cum ſpes præciſa ſit omnis ſeſe conjungendi cum illis, quorum

Samoſtiana obſidio ſoluta.

Marckgravius Badenſis à polonis profligatur.

Badenſis fugit.

Caroli Regis conſilium.

auxilia per quam sibi indicaret necessaria, nec exercitus suus illius esset roboris ut,nutantibus jam illis, festino obviam ire pede possit. Verum horum mandatorum nuntius octiduo setius quam conflictum fuerat demum advolavit, & jam Poloni Sandomiriam obsidione cinxerant, atque Slippenbachius cum Badense aliisque ex Czirshoviana arce noctu profugi, per varios fortunæ casus, & ne dignoscerentur mutatis subinde vestibus venerunt Warsaviam. Svecorum hinc præsidia, relicta Jaroslavia, cum ulterius in poloniam movere non possent retrogrado itinere ad flumen Vistulam se contulerunt: quos poloni insequuti, occupata Jaroslavia, Svecos undiquaque cinxerunt. Qua necessitate Sandomirianus Suecorum præses in desperata pressus consilia, relicta urbis sede, & apposito ad id in arce igne ut omnia pessundarentur, quod multa in ea variarum rerum esset præda, facto in polonos impetu mascula virtute hostium perrupit phalanges, continuataque fuga

Badensis varia fortuna.

Iaroslavia capta.

Svecorum virtus.

fuga ad Carolum regem ad Vistulam tum hærentem pervenit. Polonos Sandomiriam occupantes inſperata excepit calamitas, quos maxime ea parte quam incolunt judæi flammis cuncta vaſtantes, ac jam trophæa ex arce agitantes, vicinior pyrio pulveri appoſitus ignis ad centum ſexaginta cum arce vaſto in aerem jactu extulit. Rex Caſimirus ex tranſverſa ripæ parte diu miſeram hanc ſuorum conſpicatus calamitatem *Jaroſlaviam* rediit, ſed quam jam præoccupaverat hoſtis. Tentarunt inde Jeſuitarum inſtinctu poloni præſidiis ſuis munire *Sanum* & *Viſtulam*, per quorum alterutrum flumen Svecis patebat tranſitus. Hac coactus neceſſitate Carolus pontem cogitavit per Sanum, & jam perfecta hærebat pars in medii fluminis inſula; ſed quam polonorum Palatinus cum comitatu ſeptem millium ſuo irritam fecit impetu. Occupati mox & omnes tranſitus, ſola Cracoviam verſus relictâ viâ, quâ non per uliginoſas niſi paludes, horridas ſylvas monteſque aſpe-

Polonorum Sandomiriæ calamitas.

Reditus Regis Caſimiri Iaroſlaviam.

Svecorum Rex à Polonis cinctus.

aſperos iter facere licebat, atque ingentem Czarneccii equitatum, qui obvios ſibi expectabat Svecos; ſed quorum interim immota adhuc caſtra ad Sanum hærebant.

Res Caroli deſperata. Subibat interdum Carolo quacunque hoſtium parte patulam ſibi parare viam, ac perruptis hoſtium caſtris Caſimirum Poloniæ regem, Leopoli tunc commorantem, oretenus compellare; ſed à periculoſo hoc conamine mox deſtitit, miſeras ſuorum ſubinde conſpicatus

Miſeria Svecorum. miſerias, qui hoſtium laſſati invaſionibus, atque nocturnis fatigati excubiis, adhæc ingenti preſſi inedia, aliarumq; rerum penuria macilenti, vix ac ne vix quidem majoribus ſufficiebant laboribus: ne quid de metu dicam deſperantium, qui univerſum occupaverat militem ex tot conſpectis paſſim arboribus, ex qui-

Rusticorum Polonicorum rabies. bus polonorum ruſtici ſuſpendebant omnes quoſcunque germanico indutos veſtitu aut promiſſis obvios deprehenderent capillis. Invaluerat tunc ſermo principem *Adolphum* ex vulnere ſaucium, Comitem autem *Woldemarum* etiam defun-

functum: unde sparsum simul erat ipsum juxta regem occubuisse & datæ super hac re juxta litteræ *Warsaviâ*, *Thorunio* atque *Dantisco*, continuatis singulis occasionibus in spatium usque trium hebdomadarum. Ut creduli hostium animi, ita gens Polona non aliud nuncium admisit libentius, quæ ut porro fama latius cresceret, tanto eam promoverunt urgentius, quanto animum adderent suis, hostibus autem incuterent metum. Invasitque hæc ita omnium opinio, ut per universam passim Germaniam in multorum centenorum millium itum fuerit certamen, quod non aliis nitebatur fundamentis, quam *quod Elbingæ multæ stanneæ cistæ pararentur ferales mittendæ Warsaviam: quod Gottorpii ex multo nullæ tempore Regis conspicerentur litteræ, quæ singulis secus hebdomadibus proprio signatæ manu legi solebant: quod ne Cancellario quidem regni Oxenstiernio Elbingæ, nec ipsi Electori Brandenburgico quidquam de ejus vel vita constaret, vel morte*, ac ultimò *quod ne ipsi Sveciæ ministri, non nisi per quam obscure, quidquam ea de re*

de Caroli morte rumor percrebrescit.

Poloni spargunt mortem Regis Caroli.

Certamina in mortem Regis.

 scri-

ſcriberent. Quod factum adeo percrebuerat, ut ne iis quidem haberetur fides, qui tutiori ſubnixi fide regis aſſeverarent vitam: perruperatq; opinio principum etiam aulas, in quibus habebatur pro certiſſimis. Romanæ ordo eccleſiæ rem adeo in ſuam admiſit fidem, ut Pragæ in Bohemia Minoritarum quidam frater de publico ſuggeſtu veluti religionis depredicaverit articulum: alibi in ſucceſſum Polonorum hilaritatis, non ſine deteſtatione Svecorum, circumlata pocula; quin & Amſterodami inter Lutheranæ religioni addictos, & qui Romanæ patrocinantur eccleſiæ in tantam res abiit controverſiam, ut in publico mercatorum conventu ad verba res primum abierit, inde aliò loci etiam ad verbera. Verum qui lubricam hanc ſequebantur narrationem ſuis deluſi opinionibus patulam mox antagoniſtis aperuerunt fidem, cum recentes adferrentur litteræ regiæ vitæ teſtes, etiam ſubornantibus qui dicerent, *dari paſſim Purmerendæ in Hollandia, in Polonia VVarſaviæ qui Sve-*

Pragæ concionatur de morte Regis.

Nata Amſterodami rixa ſuper mortem Regis.

Sparſa de morte Re.

Svecorum regem suis condidissent manibus: qui regem in publico vidissent conflictu: qui framea polonica, aut acinace, percussam conspexissent cervicem: alii qui in pectus incurvo polonorum malleo à fronte percussum, ac inde à tergo gladio confossum occubuisse: alii per Sanum fluvium tranantem fluctibus absorptum: alii, ubi fluvium superasset, confugisse in cellam, ex qua à rusticis extractus multis casus vulneribus ultimo occisus occubuerit. Ad hæc vitam regis malè credentibus ultimam extorsit fidem *Saxonicus Boxstellus*, quem Svecorum rex superato inter labores flumine, ad suos cum litteris ablegaverat, nuntiaturum *se cum castris suis inter duos clausum à Polonis teneri fluvios: Polonam fraudulenter secum agere nobilitatem, & non datam tantum non servare fidem, sed & contra eandem Quartianorum auctam exercitu, Sapietha duce, hostilia quaque minari; Juniorem Koniecpolscium in auxilium vocatum ex oppido suo Broddi in hæc respondisse verba: se salva conscientia contra patriam arma ferre non posse.* Per idem tempus & ad Oxenstiernium datæ Jaroslaviâ Elbin-

magis mendacia.

Regis Caroli per Boxstellii ad suos litteræ.

Regis ad Oxenstiern.

 gam

nam litte-ra.

Caroli Regis miseria, & rerum omnium penuria.

Caroli Regis nova consilia.

Carolus cum exercitu in conspectu Polonorum cum flumine descendit.

gam litteræ, quarum hæc erat summa: *Svecorum regem prospera frui valetudine: trecentos Svecorum certum tentantes transitum, à ter mille polonis obvios prostratos profligatosque.* Continuata quoniam narratio, spe sua tandem frustravit omnes, quicunque de morte regia sinistram induerant opinionem. Interim rex Carolus in tantis ac tam magnis se suosque conspicatus miseriis, & quod maximam urgebat molestiam non minus commeatus penuria totum fatigari exercitum, quam per fugam multorum Germanorum, qui opimam habebant prædam, eorundem haud parum debilitari numerum, cum spes nulla superesset suos aperto in campo opponendi Polonis, ut qui hostes suos per sylvas, paludes aut montes aggredi consueverant, in nova abiit consilia. Convasatis ad ripam Vistulæ rebus omnibus, militem totum in suas imponit naves: inde cum paulatim cum flumine decurrissent, & multas contra Polonos ex ripa fluminis telis jactitantes operas subiissent, tandem vigin-

viginti navium pontem constituit, indeque Warsaviam usque pervenit: ubi recreato in suburbiis exercitu, relictoque in loci tutelam *Wittenbergio*, recta in Borussiam perrecturus, pervenit Thorunium. Nec tamen omnes adventum hunc regis in animos admittere suos poterant, maxime Dantiscani, qui institutam de eo narrationem velûti fabulam rejiciebant. Electorem Brandenburgicum fertur, se ab omni dubitatione liberaturum, instituisse in persona regi obviam ire. Quidquid sit, sparsis ac invalescentibus ad Regiomontum rumoribus de certissimo Svecorum adventu, missi ab Electore Thorunium, qui rei & regiæ vitæ expiscarentur veritatem. Hujus siquidem ea erat conditio, ut non ullius cujusquam principis fortunæ tum magis ex vita aut morte penderent regis. Ventum inde Elbingam, initiisque cum suis consiliis, data Legatorum alloquia, & regis ipsius responsa. Primus Danorum ad regem suum scripsit Legatus, *se cum rege Svecorum ipso*, ubi ex Polonia rediisset,

Carolus pervenit Warsaviam.

Carolus venit Thorunium.

Elector Brandenburgicus se confert ad R. Carolum.

Quanti Electoris interfuerit vixisse Regem.

Legati ad Carolum admissi.

adſtantibus principibus *Darmſtadienſi* & *Croyo*, in ſecretiore conclavi loquutum fuiſſe, regiamque majeſtatem belle ſe habere & valere pancraticè. Eadem fuit confæderatorum ad Præpotentes ſuos Ordines opera. Viennâ, quæ remotior erat, expreſſus fuit delegatus, quamvis firmiſſimè defunctum crederetur regem, qui ſollicitè cuncta experiretur. Mirari hic cuique licebat tam validum Svecorum exercitum viginti & ſeptem Holmiæ in cenſu millium, ac mox octo aliorum in Polonia acceſſione auctum, ſtupendoque omni inſtructum commeatu, ubi nunc in Ruſſiam veniſſet, vix tertiæ partis numero conſpectum, cujus tamen potiſſimæ parti, per diſpendia valetudinis, & vulnerum cicatricumque injurias, non niſi in noſocomiis hoſpitari licuit: multi etiam ſine armis, vel ſi qui ea haberent inutilia eſſent ſingula, quod vel rubigine exeſa eſſent, vel confracta; quin erant qui nec gladios ſuos vagina ſolvere poſſent. Quæ reliqua Svecorum per Poloniam pars fuit,

Legati Confœderatorum Ordinum.

Diminutus Svecorum exercitus.

Poloni Svecos inſectantur.

fuit, multis Polonorum insequutionibus fatigabatur. Czarneccius cum selectissimo milite tam acriter instabat fugientibus, ut eadem simul opera Thorunium etiam occupasset, ni *Mardefletius* Svecorum præfectus mature rupisset pontem, accessuque arcuisset hostem. Czarneccius tum porro progressus per universam Poloniam, quæ late inter Vistulam & Pomeraniam patet, quoscunque reperit hostes omnes in universum, sine concessa ulla gratiæ venia, crudeli mactavit manu, incensis etiam eorum domibus, qui tantæ hostium cladis misererentur, & ne, si quando in poloniam rediissent, plus invenirent hospitii, quam sibi reliquissent. Nec reliquum militiæ per majorem Poloniam corpus à suis cessabat operis. Pervagata Polonia tota, & in Silesiam ad montes usque perventum, ubi oppidulum *Polonica Lissa* cum præsidio, quod quadringentorum erat Svecorum, à Polonis obsidione cincta. Additæ minæ, nî sese mature sine multa dederent opera, nemini

Mardefletii virtus.

Crudelitas Czarneccii.

Polonorum ad Lissam minæ.

ni parcitum iri, quin ne infantes in cunis ab hoc immunes fore periculo. Prævaluit omnium pervicacia, & parata ſtrenuè arma. Sed Sveci perſpectâ rerum omnium penuriâ, maxime verò pyrii pulveris, ſine quo ſalutem ſuam tutari non poſſent, parata de nocte fuga ſuæ conſuluerunt ſaluti: cives occupatis in expugnando oppido Polonis, eadem ſimul nocte in montana ſe dediderunt, comitantibus etiam qui cum ſcipionibus ſequerentur. Irruentibus ad auroram Polonis cum nequidquam deprehendiſſent, præterquam exiguos valetudinarios, qui per ſtrata decumbebant, omnes ſine diſcrimine interfecti. Reliqua data prædæ: oppidum incenſum. *Lantgravii Friderici* corpus hic ante in templo conditum, à Polonis extractum, ac in foro igne cum reliquis ædificiis crematum, & in cineres redactum dicitur. Eadem fortuna ſequentium fuit locorum, inter quæ *Lowiecz*, *Ploska*, *Dobrzyn*, *Leſka*, *Brombergh*, *Tachel*, *Plaſuyde*, *Molen*, *Moſch*, *Coſtian*, *Frauſtad* & *Zuyn*. Refectus inte-

Liſſa à ſuis deſeritur.

Landgravii Frederici corpus crematur.

Oppida per Polonos flammis conſumpta.

interim Svecorum miles à Rege postulabat pecuniam. Præfecti unde militi promissos adnumerarènt nummos palam se nescire profitebantur: quin & Poloni, qui in confœderatione erant, cum ad institutas à se querelas nihil impetrassent, Rege respondente *rerum suarum illam conditionem esse, cui à parata non satis prospectum sit pecunia: pauculum exspectarent tempus, brevi futurum, ut sentiant communem omnium molestiarum finem*, in tantam versi sunt rabiem, ut quoscunque in deprædationibus, aut quocunque modo victum sibi quærentes deprehendissent Svecos, omnes interfecerint, occasionemque dederint, ut præfecti ipsi, metu majoris periculi, à stationibus suis fuga sibi consuluerint, exemplumque fecerint militibus. Per ea tempora Lithvanorum idem juxta fuit animus, qui ad Rigam per nemora passim latitantes Svecos subinde lacessebant. Hos inde submoturi Sveci quatuor millium jactura suam explorati sunt calamitatem. Hinc *Steenbockius*

Præfectorum apud Carolum Reg. querela.

Nobilitatis Polonæ in Svecos crudelitas.

Lithvanorum in Svecos virtus.

kius ubi comperisset male à Polonis prospectum Brambergæ, quamvis non ita pridem à se occupatæ, assumpta aliqua à *Sultsbachio* manu, eam occupavit, ac captivorum omnium cauterii notas frontibus inuri jussit, in vindictam male habitæ cohortis quam *Steenbockius* ipse legerat Stetini, & in quam tantam Poloni exercuerant crudelitatem, ut fæminis præsciderint mamillas, defunctorum cadavera in partes dissecuerint, religiosos eorum pastores manibus mutilarint ac pedibus, corpora ipsa dilacerarint, & dissecta militum pectora, in quibus pendula adhuc hærebant intestina, injecto pabulo per porcos depascebant ac sues, quæ morientium eruebant ilia. Cessante interim Svecorum successu, res, maximè in Borussia, universos ac singulos habebat attonitos. Rebelles Quartiani Cosacique ad Poloniæ item defecerunt regem: & reliqua Svecorum manus cum omni paulatim defluere cœpit commeatu. Suspensus inde Electoris animus, jussaque cen-

Bramberga à Svecis occupata.

Immanitas Steenbockii.

Immanis Polonorum crudelitas.

Quartiani deficiunt à Rege Poloniæ.

Incertus animi Brandenburgicus.

centum ac ſeptem vexilla in octoginta & novem redigi, mox etiam triginta & quatuor equitum cohortes in centum uſque augeri capita. Nutanti Svecorum rei Legatus tum Gallorum maxime favebat Regis: quare miſſis duobus ad eum ex ſuorum numero Secretariis, fortunas illius octies centenis florenorum millibus ſolatus eſt: addita & alia munera magnis impenſis Pariſiis in honorem regis parata. Sed priuſquam hæc adnumerarentur, alibi fruſtra quærebatur pecunia, datis etiam Hamburgi fidejuſſoribus. Nec deerant qui in Anglia iiſdem faverent partibus. Ipſe Cromvellius, Angliæ Protector, dimiſſo à ſe *Coyeto*, Svecorum legato, multam pollicitus manum, quæ Bremam verſus tranſmitteretur. Natæ unde ſuſpiciones Bremam in Anglorum deventuram manum. Auxerant illas præclara Protectoris munera, & inter ea donatus aureus torques cum ejuſdem effigie multis adornata adamantibus. Data per hæc tempora Confæderatæ Belgicæ Ordi-

Gallorum Regis in Svecum officia.

Cromvellii in Svecos favor.

Collata à Cromwellio in Coyetum munera.

Ordinum legatis Dnn. *G. à Slingerland*, *Frederico à Dorp*, *& Huberto* atq́; *Ioanni Isbrantzius* occaſio eundi ad Regem Svecorum: qui magno Lubecæ excepti apparatu, cum inde diſceſſiſſent, cum comitatu ſeptuaginta virorum venerunt Stetinum: ubi collatis cum regni Cancellario *Oxenſtiernio* ſermonibus, iter ſuum Dantiſcum verſus inſtituerunt. Urbem ingreſſuri, pro more gentis honorifice excepti. Continuus ille qui ab urbe ad Olivæ uſque monaſterium tractus eſt, perpetuo ſtipabatur milite, & præfecti apertis conſpiciebantur capitibus. Ingrediente Legatorum plauſtro, erant qui delegata exciperent oratione, & ut ut nubilus & pluviis injurius eſſet aer, tantæ tamen acclamantium undique exaudiebantur voces, ut recentes populo gaudii partas crederes occaſiones. Domum introducti per *Aelmerium* & *Rooſenbergium* Conſules publico ſalutati nomine. Eadem veſpera ad menſam pluſculi de ſtatu belli ſermones, & rebus illis quæ negotiationem concernebant utri-

Legati Confed. Belg. quomodo Dantiſci excepti.

uſque

usque gentis per mare Balthicum. Dati in quatuordecim dies publici sumptus. Inde cum Præpotentum Ordinum legati inaudivissent Svecorum regem Thorunio Elbingam se contulisse, eodem moverunt, veneruntque uno post die quam rex suam exceperat Reginam recens ex Svecia adventantem. Quæ quamvis felicibus satis advenisset auspiciis, nullæ tamen adhibitæ solennitates, ob rerum castrensium inopiam, & eas regis molestias, quibus continuo per insultantes fatigabatur Polonos. Maxima tunc exercitus pars ad Warsaviam fuit sub auspiciis fratris *Adolphi*. Adventantes Ordinum legati, per absentiam regis ab urbe, qui sua ad Dirschaviam & fluvium Vistulam spectatum abierat præsidia, in vico substitêre *Gnojau*. His Rex auditis, unum ex suis misit purpuratis, qui Ordinum legatos peteret, unius dieculæ moram non ægrè ferrent, proximo die Regis fore curam ut debito more excipiantur. Adventante die missi Baro *Stena Bielka*, & aulicus regis Mareschallus

Legatorum Dantisco discessus.

Legati Conf Belgi quo modo à Sveco excepti.

lus *Sackis*, aliique ex nobilitate, qui legatos septem exciperent plaustris, inter quæ Reginæ quoque fuit, quo vecti legati circa vesperam Marienburgum venerunt, inque designata ad id palatia, regioque modo instructa, deducti splendidissime cum Regis delegatis cænati sunt. Inde Legati cum sex deducti in arcem plaustris in Regis admissi sunt colloquium. Vix plaustro pedem extulerant legati, aulicum ecce Regis Mareschallum qui eos excepit: promotis aliquot gradibus à Regni totius Mareschallo excepti, qui eos in conclave deduxit, ubi Rex cum ingenti suorum erat purpuratorum numero. Deponentibus salutationis officia legatis, Rex paucilis passibus propius ad eos accessit. Legati mandata sua belgico deposuerunt sermone, quæ mox *Roosenhanius* regni ConsiliariusSvecico reddidit idiomate. His finitis Rexipse germanico loquutus sermone, *volupe sibi esse* respondit *præsentes Ordinum apud se conspici legatos*, paucisque subjunxit *proclivem suum in*

Quomodo deposita Legatio.

Regis ad Legatos responsum.

in Ordines affectum. Data & nonnullis ex Legatorum comitatu facultas, qui Regis oscularentur manus. Deducti inde Legati in conclave Reginæ : quam cum salutassent, à Barone *Spario* responsum. Mox à *Bielkio* domum deducti solenniter habiti sunt. Missi eo & duo extraordinarii ab Electore Legati *Waldeckius* & *Plateo*, præter alios. Spes inde concepta futuræ inter duos Reges pacis. Verum priusquã de hac ageretur, reliqua per Poloniam Svecorum manus ad Gnesnensem urbem obvia Polonis, eos profligavit penitus, acceptis in prædam duodecim vexillis. Inde occupato Neumarchio, sex dissipata Polonorum millia. Datæ passim lætitiarum solennitates, maxime Marienburgi ubi legatorum erat confluxus. Patratis his victoriis publicatum Regis in polonam Nobilitatem diploma, quo statuebatur *quicunque captivum nobilem vivum aut occisi caput in Svecorum attulisset manus, si nobilis esset qui deduxisset nobilem, æterno jure bona illius omnia possideret; si vero*

Legati Brandenburgici.

Svecorum ad Gnesnam victoria.

Regis Caroli in Polonam Nobilitatem decretum.

si vero rusticus, bona sua sibi haberet, & ex agris heri sui totius sexennis fructus omnes. Paucis inde diebus post movit Dantiscum, urbem omnibus tentaturus viribus. Collecta ad id quinquies millium per Borussiam manus. Ventum etiam *Prustum* usque, locum unius tantum ab urbe milliaris. Detracta pascuis armenta, ac vicus prædæ datus. Mox occupatum & *Grebinum*, quod sponte suis se cessit hostibus, ut quod quinquaginta tantum milites haberet in præsidium. Perrectum inde in *Gutlandiam*, ubi imperfectum adhuc fortalitium, cum frustra à Rege peteretur, facti jussu regis duo impetus, quos præfectus loci repulit fortissimè, sed cum, amissis centum ac viginti militibus, jam de traditione ageretur, cum nonnullus ex militibus sclopetum solvisset, parumque abfuit quin ipsius caput tetigisset Regis, perculsus Rex ira, facto tertio in locum impetu, eundem vi expugnavit. Distributis per vexilla militibus, omnes Insulæ, vulgo *Weerderen*, Svecorum cesserunt arbitrio.

Caroli in Dantiscum expeditio.

Factum in Gutlandia.

Weerdenenses in-

trio. Missæ mox Dantiscum litteræ, quæ docerent Urbis Magistratum, *Svecorum Regem mirari tam pervicax Dantiscanorum ingenium, etiam tum cum omnes circumcirca agros in Svecorum videant arbitrio*, simulque monerent *quam imprudenti nuper consilio in subsidium venire voluerint Marienburgo, suosque ad Olivam captivos abduxerint*, & alia ejusmodi plura: adhæc *datam sibi ad id occasionem ut arma contra eos meditaretur; nihilo tamen minus si ad officium redeant, gratiam inventuros, & reliqua quæ ex eorum sint usu.* Responsum ab amplissimo Magistratu: *Se fidei juramento obstrictos Regi suo, nec alia sibi consilia quam datam servare fidem. Joannem Casimirum legitimum suum esse dominum, inque ejus tutelam se omnia exposituros: nec sibi quidquam constare, cujus ratione Regis incurrerint offensam.* Missus tamen iterum qui oretenus ea de re cum eodem ageret Magistratu; sed cujus frustra abiit legatio, ut qui ultimum, hoc Regi retulit responsum, *ratam sibi stare sententiam extrema quæque passuros,*

sulæ, à Carolo occupatæ.

Caroli Dantiscum literæ.

Dantiscanorum responsum.

Secunda ad Dantiscanos delegatio, & Responsum.

suros. Hinc datæ civibus per alternas noctes vigiliæ: quinque militum millia per munitiones distributa. Missus interim *Leeuvenhofdius* qui conjuratos undiquaque rusticos, quique jam *Furgensburgum* occupaverant, *Vcylonam* & *Rottenhoftum*, vel in suas pertraheret partes, vel penitus reprimeret. *Magnus de la Guardius* provectus in Lithvaniam habendis occupabatur comitiis. Rex ipse ex expugnato Dantisco & finem belli, & proximum sibi ad regnum tramitem, ratus omnem movit lapidem, ut singulis ad Dantiscum munitionibus, locisque aliis, quam optime prospiceretur de milite, cui imponeret *Steenbockium.* Strata item Vistula ponte, quo magnam exercitus sui manum transferret Thorunium, ubi fama increbuerat Polonos cum ingenti hærere exercitu. Deprehensus in itinere *Czarneccius* ad oppidum *Szina.* Ex hujus milite ultra centum desiderati, qui per fugam in paludibus periêre: multi alii capti, inter quos etiam *Dialeski* Satrapa. Sine

Conjurati Rustici.

La Guardius Comitia habet in Lithvania.

Svecus Dantiscanis inhiat.

Czarnecci fuga.

ne vi captum inde *Lapeschinum:* unde Rex Carolus rediit Marienburgum ut Legatum audiret Tartarorum, & cum iis ageret, qui nomine præpotentum venerant Ordinum. Exercitus cura data principi *Adolpho* & *Wrangelio*, qui superata Vistula rectâ tetenderunt Warsaviam, quam Poloni obsidione cingebant, defendebatque *VVittenbergius* cum bis mille præsidiariis. Reliqua ad Dantiscum manus omni opera inhiabat urbi, Rhodunum item fluvium, cujus beneficio suas exercebant molas, divertere tentabat. Constans adhuc Dantiscanorum animus nequidquam rebus desperabat suis. Augebat eundem tardioribus submissa velis Confœderatæ Belgicæ classis, quam avidissimo ad maris Balthici expectabant fauces. Sed & non deerant qui meticulosis gravidi consiliis à tantis absterrerent consiliis: id autem potissimum ubi inaudivissent in pacis conditiones conventum inter Carolum Gustavum & Electorem Brandenburgicum, quæ tales

Exercitus cura data Adolpho & Wrangelio.

Warsavia à Polonis obsidione cincta.

Dantiscani constantes.

Pax inter Carolum & Electo-

rem Brandenburgi. tales fuerunt: *Serenissimus Elector quater mille milites suis aleret sumptibus in castris Suecicis, in cujus redhostimentum, urgente ad id necessitate, Rex Suecorum, sex mille haberet in usum Brandenburgici. Electori hæreditario jure tres in Polonia concessi Palatinatus, Posnaniensis Fidaniensis & Caliziensis, cum omnibus territoriis & districtibus; additis conditionibus mutuas injurias mutuis propellerent armis. Ius summæ administrandæ rei penes Regem esset, quoties extra Borussiæ limites militaretur: in Borussia imperium ad Electorem pertineret. Ducatus Borussiæ cum Ermlandico Principatu Vasalli titulo per masculum sexum familiæ esset Brandenburgicæ, cum annua recognitione quadraginta millium imperialium. Ex dictis locis Rex Carolus nequidquam sibi vendicaret, nisi quid esset quod ad Commeatum faceret, sed pro quo solutionis fieret æstimatio. Si quid per Brandenburgicum à Moscovitis ereptum, altum de eo in præsens silentium, ac posthac demum actum iri.*

Pacis conditiones.

Abiturientibus Electoris legatis, juxta Moscovitarum & Turcicus dimissi nuncii, ad quorum illius Re-

Moscovitici & Turcici legati.

Regis nequidquam faciebat palatum; hic autem mitiori discessit cum animo. Proximum inde Regi in *Hallandiam* iter, ut præsens loqueretur Electori. Certabat hactenus diu satis pro partibus Svecicis fortuna, jamque in partes cæpit deflectere Polonicas. Unde occupata *Pilsa* & arx *Lantskronoviana* : & quidem non tanto ut sperari oportebat apparatu, sed hac arte. Nobilis quidam Polonus *Zebedowski*, cujus prædia dicto proxima adjacebant loco, quò gratiam aliquam apud arcis demerere- ut Præfectum, Turcicum ei dono misit equum, illis additis precibus ut agris parceretur suis. Pæfectus accepto delectatus equo, quod ad omnium compositus esset stuporem, ob angustias in arce areæ cupidus in ampliore cum eo decurrere spatio, assumpto pauculo comitatu, in eam ex arce descendit partem, quæ stabulo vicina paratis illum exposuit insidiis, ex quibus triginta prosilientes Poloni, utut se masculè defenderit, eum captivum, non tamen priusquam

Fortuna Svecorum subita mutatio.

Arx Landskronowia qua arte occupata.

in ſtrenua vulneratus fuiſſet pugna, abduxerunt. Locus impetui ceſſit Polonorum. Capta mox & vicina omnia. Svecorum hactenus maſcula fuit Warſaviæ virtus, hoſtium validos repellentium impetus. At jam labaſcere animus cæpit. Conceſſa iis qui propriis ſumptibus militabant Regi, urbem oppugnandi facultas. Hi tanto in urbem incubuerunt impetu, ut Sveci, relicta ſuburbii parte, qua *Bernhardinorum* patet Monaſterium, in eam receſſerint quæ templum habet *Divæ Claræ*. Hic reſiſtentibus Svecis utrinque ſtrenue pugnatum. Vicit tamen Polonus, qui Svecorum perrumpens arma in ipſam penetravit urbem, nec prius hoſtilem depoſuit gladium, quàm integræ plateæ ſauciorum perfunderentur cruore, ipſique canales humano defluerent ſanguine. In tam acri utrinque pugna potiſſimi Svecorum, ut *Wittenbergius*, *Oxenſtiernius*, *Eſtienus*, *Weykerus* & alii, Polonicum hunc experti furorem, quem maxima ſequebantur tormenta, quæque jam partem muri in

Svecorum Warſaviæ virtus.

Impetus in Cracoviam & ſtrenua defenſio.

Warſaviæ cruore perfluunt plateæ.

in arce proſtraverant, miſſis qui à Polonis pacem peterent, eam non niſi ægrè impetrarunt; delegati tamen *Conterſteynius* & *Forgelius* qui de ea agerent. Non intolerandæ pacis erant conditiones. Urbs Polonorum Regi tradita. Amiſſio hæc multum ex animis dejecit Svecorum, maximè qui erant Cracoviæ, & in locis proximè vicinis. Multa tamen omnibus erat cura, ne quid de ſua Polonis innoteſceret conſternatione. Sparſumque reparato mox Viſtulæ ponte, quem validæ nuper dejecerant aquæ, Svecorum exercitum cum Electoris junctum iri milite, & ſui acceſſione auctam communem manum in hoſtem ituram, acceptam cladem duplici ſucceſſu penſatum iri. Interim ipſi acceſſione Tartarorum aucti Poloni, ad Pultowiam fruſtra quid moliebantur in Svecos. Juncti Electoris cum Svecicis milites, dum *Brickum* tranſeunt fluvium, inſperatos obvios acceperunt Polonos, qui ſuperata Viſtula tam repentino Svecis occurrerunt itinere, ut pri-

Sveci paciſcuntur cum Polonis.

Ars Svecorum.

Tartarus miles jungitur cum Polonis.

Polonus occurrit

Suecis & crebræ vellitationes

priusquam in aciem disponeretur miles, jam vellitationibus præmissi se exercerent, in quibus stupenda Polonorum virtus immane quantum fatigavit Svecos! Ex projectis ad id aggeribus magna Svecorum per tormenta clades, Svecis hoc die nequidquam facientibus. Restaurata sequente die pugna in seram usque abiit vesperam, frustra urgentibus Svecis in Polonorum perrumpere castra, masculè à suis defensa. Repetiti inde tertio die conatus, & tormenta Svecorum commodioribus collocata locis, ex quibus missi decussatim globi plus hostili nocerent exercitui. Missi etiam qui lixas polonorum & calones in sylvarum latentes recessibus in propatulum agerent: qui dissipati omnes novam dederunt fugiendi occasionem ipsi exercitui, amissis multis qui inter Brikum & Vistulam occubuere. Maxima pars, ubi ponte transiisset Vistulam, immissis in pontem flammis, in ultimum sui asylum fugit Warsaviam; sed quam incensis quibusdam ædificiis, & multa

Sequentis diei restaurata pugna.

Tertii diei Suecorum victoria.

Poloni male habiti.

multa ablata præda, dirutisque potissimis munitionibus, ultimo tandem deseruit. Festinantissimo inde perrectum itinere in *Podlassiam* & *Lublinum*; deducti etiam omnes captivi, excepto *Benedicto Oxenstiernio*, qui tunc decumbebat valetudinarius. Qui Warsavienfibus præerant demolita cuncta conspicientes, maximamq; civium partem peste absumtam adventanti ultro se Svecorum tradiderunt Regi, qui continuatis itineribus sequebatur Polonos, quibus quinquies jam mille ceciderant. Elbingæ ubi Svecorum morabatur Regina, atque per universam Borussiam actis Deo gratiis publicæ institutæ solennitates. Per idem tempus centum & quingenti Svecorum equites cum nonaginta peditibus mille ducentos obvios habuerunt Moscovitas, qui consertis inter se manibus, ubi Moscovitæ fugam cæpissent, duo vexilla & quadraginta secum deduxerunt captivos: Ex Svecis decem equites desiderati. Plusculæ tales cum Polonis etiam subinde occurrebant vellita-

tam deserunt Warsaviam.

Captivi deducuntur, excepto Oxenstiernio.

Warsavienses se dedunt Svecis

Per Borussiam publicæ gratiarum solennitates.

tiones, sed quarum modo his, modo illis cedebant victoriæ. Mensem Augustum Rex Sveciæ transegit Cracoviæ, Ubi cum intellexisset potissimam Polonæ nobilitatis partem ex castris se subduxisse promovendæ messi, Carolus captata hac occasione Polonorum castra vi aggredi instituit. Præmissi obviam ex hostibus equites in fugam dati: pedites adventantem metuentes exercitum, desertis castris in montana se abdiderunt. Castra direpta & incensa. Dantiscanorum hactenus nihil decrevit animis. Aderat Belgica jam classis quæ parata fulciebat arma; ac missæ subinde Regis quæ mentes omnium firmarent litteræ. Carolus tot victoriis per Poloniam clarus retracto pede *Stomum* rediit, ubi eum præstolabatur Regina: atque mox inde quatuor Elbingâ milliaribus universâ cum aulâ movit injurias pestis vitaturus, quæ jam Elbingæ invalescere cæperat, ac simul expectaturus illam suorum manum, quæ ex *Sacro* adventabat oppido. Deseruerant jam & universam Poloniam, exce-

Polona nobilitas ad messem faciendam proficiscitur ex castris.

Polonorum castra deserta.

Belgarum advenit classis.

Svecus deserit Poloniam.

excepta *Cracovia*, *Calisʒio*, & unico adhuc munimento ad illud Viſtulæ divergium, quo in Birkum & in Viſtulam dividitur flumen, concepto in id animo, ut, munitiore reddito loco, Polonos in ſuo contineret obſequio: reliquæ quæ ſupererant munitiones omnes demolitus eſt, ne illis tutandis occupatus pauciorem in campis haberet militem. Proximi inde, qui in Regis alloquium admiſſi fuerunt Legati, Præpotentum erant Ordinum, quorum hæc maxima cura, ut ad pacis deſcenderetur concordiam: addita etiam mediationis promiſſa. Submiſſa humanitatis plena juxta atque proclivis ad eandem operam à Rege reſponſio; ſed quod ſterile fuit factum exinde, quod neuter Boruſſia cedere voluerit. Fervebat adhuc ſpes Dantiſcanorum, ſe adhuc aliquid boni obtenturos ex initis colloquiis inter Ordinum deputatos & ad idem negotium delegatos Regis. Sed cum ſucceſſu res careret omni, miſſæ ab illis in hanc formam ad Ordines litteræ:

Per Poloniam munitiones demolitur.

Fruſtra agitur de pace.

Dantiſcanorum ad

Ordines litteræ. *Sartam sibi in Regem Poloniæ fidem, nec quidquam sinistrarum hactenus rerum suorum detrahi animis. Quod reliquum erat, subsidium à Præpotentibus peti ad tutanda Urbis privilegia.* Prolixa Dantiscanorum mora apud animum extorserat Caroli, ut ad apertam descenderet vim, invitosque tum per majora bellica tormenta, tum per missiles subinde ignes ad deditionem cogeret cives: missique in id & equites jam peditesque qui Vistulam transmitterent. At constantem hunc Dantiscanorum nequidquam fregit animum, fretum & Regis Poloniæ pollicitationibus, qui jam frequentius cum magno adventum suum promiserat exercitu, & Belgarum subsidio, ac proxima Daniarum vicinitate. Mutarat interim fortuna Svecorum successum, ut qui per Poloniam & Borussiam sinistrius rem agentes eandem sibi novercantem experti sunt. Lithvano duce *Gonsievio*, haud procul ab oppido *Lico*, sub *Waldekii*, *Radzivilii* atque *Israëlis* novem legiones profligarunt Brandenburgicas, &

Aperta Svecorum vis in Dantiscanos.

Sinistra Svecorum fortuna.

Svecorum & Brandenbur-

Sve-

Svecicas quatuor: occiſorum deſideratus trium millium numerus: Inter multos captivos fuit etiam *Radzivilius*. Sequutus inde metus ne cum hoc armorum ſucceſſu in Pilavæ iretur munimentum: data *Steenbockio* mandata, ut cum quinque millium exercitu ſe eò conferret. *Dorfslingerus*, *Waalradus* reliquique omnes, qui in præſidiis erant Svecorum, cum omni in unum convocati manu, ut prima quaque occaſione cum acie hoſti obviam irent: nec facto defuit ſucceſſus. Siquidem ubi Tartari cum Gonſievio in diſſidium veniſſent ratione octuaginta millium imperialium, quæ in pretium promiſſa fuerant liberationis Radzivilianæ, atque eandem ob cauſam ab invicem ſeparati eſſent, *Steenbockius* junctis cum Waldeko viribus, nocturno Polonis ſupervenit itinere, hoſteſque omnes nequidquam ſiniſtri ſuſpicantes profligavit penitus. Qua occaſione Princeps *Radzivilius* & Legionis præfectus *Iſraël* ex captivis ſine ſoluto pro libertate lytro immunes evaſerunt. Verum hanc

genſium clades.

Radzivilius captus.

Svecorum reſtaurata manus.

Tartarorum cum Gonſievio diſſidium.

Steenbockio victoria.

Radzivilius profugit.

jacturam Poloni aliis per majorem Poloniam pensarunt successibus. Quippe *Snydemolam* ad Notecz fluvium sitam in prædam sumpserunt. *Lovitzium* aperta expugnarunt vi, bisque mille trucidarunt Iudæos. Octo equitum cohortes, & peditum quatuor in Poloni fidem jurare coactæ: sæpiusque factum ut Svecorum vires propria destruerentur manu. Hoc tempore *Coninksmarkius* ex Bremensi vocatus Ducatu, cum in Borussiam veniret Wismariâ, haud procul à munimento *Pilavæ*, ubi satis cum adversis diu luctaretur ventis, à perfidis circumventus Scotis, captivus allatus est Dantiscum. Hæc dum fiunt moto Carolus pede *Graudentzam* pervenit. Profecturus in Polonos Vistulæ appropinquantes, pontem flumini imponebat; sed quem aquarum disturbarunt copiæ. Ad aliquantulum inde tempus nihil actum, præter quod Prussia trium Præfectorum commissa sit tutelæ, *Lindani*, *Steenbockii* & *Oxenstiernii*. Polonorum Rege *Conitzium* sub suam redigente

Felices Polonorum successus.

Coninckmarckius captivus deducitur Dantiscum.

poteſtatem, & magnis ſplendoribus intrante Dantiſcum, Decembri menſe Svecorum Rex, obductis glacie ſingulis, cum decem millium manu, occupato in tranſitu *Greblino*, & *Marrenhora* flammis abſumpta, inque majore inſula Werderenſi *Suhardano*, *Ooſteringha* & *Sibbelaria* in poteſtatem redactis, ducentos forte fortuna ubi deprehendiſſet Polonos, ſuis eos tractavit moribus. Victricibus inde armis vicinas omnes vaſtabat regiones, in conſpectu etiam paſſim Polonorum, qui aperta ſubinde ſibi conſulebant fuga, inſequente ſæpe *Duglaſſio*, qui trium millium paratam ad id habebat manum. Vicinior, ut ſperabat, ſuis ſucceſſibus *Carolus Guſtavus* firmiorem cum Electore inſtituit pacem, fratremque ſuum Principem *Adolphum* ad Præpotentes Hagam miſit Ordines. Qui ab Ordinibus digno ſe more exceptus, ſplendidiſſime habitus fuit. Verùm anni interim finis, finem haud fecit belli. Redeunte novo anno, novæ recruduêre indignationes. Po-

Rex Polonorum venit Dantiſcum.

Svecorum rex victor pro libitu paſſim graſſatur.

Caroli cum Electore pax: Adolphi Hagam legatio.

lono siquidem recuperari curante quæ alibi passim amiserat, Svecorum Rex in Dantiscanos omnia tentabat hostilia, ipsamque urbem quam arctissimè habebat. Data & publica mandata ne ex rustica quisque plebe undecunque locorum quidquam in urbem ferre sustineret, quod ad victum faceret. Inde per singula dierum incrementa, novæ utrinque invalescebant inimicitiæ. Sed cum per hæc tempora glaciei beneficio patula quocunque Svecis esset via, multi in polonicos dimissi agros ingentem undique conferebant prædam. Quam Svecis subinde repetentibus nata Dantiscanis occasio ex urbe erumpendi; sed primum cujus tentamen haud benè successit. Secundæ excursionis melior fuit fortuna, ut cujus auspiciis non contemnenda quatuordecim traharum præda tutò urbi illata. Permoverat inde hoc exemplum etiam *Bilinscium* equitum cohortis Præfectum. Unde ascitis in societatem nonnullis inter *Dirsaviam* & *Stargartum* triginta militum tur-

Svecorum in Dantiscanos hostilia.

Sveci Poloniam deprædantur.

mam

mam captivam adduxit, ex quâ nonnulli potioris nominis Poloni libertati restituti. Fervebant instituti successus: unde latius prædæ serpebat cupiditas. Iuncta quatuor millium manus majora tentabat. Svecos ipsos suis depellere stationibus animus erat, & quod caput ferebat inter munitiones in suam redigere potestatem; sed quibus non respondit institutum sequenti die Dantiscum reducibus, ubi nonnullam suorum amisissent manum. Ex centum & quinquaginta curribus lupulo onustis, qui Dantiscum tendebant, centum & decem in manus venerunt Svecorum, ac *Marienburgum* deducti. Non tamen deferbuit Dantiscanorum animus. Multæ subinde excursiones, & commissis passim velitationibus ancipiti utrinque prælio pugnatum. Toto hoc temporis decursu maximis tentabant laboribus Galliarum & Ordinum legati, ut quacunque ratione pax componeretur inter Svecum & Polonum: atque eam in primis potissimam habebant curam, ut designatis loco, tempore

Dantiscanorum clades.

Galliarum & Ordinum Legatorum cura in conciliandа Regum pace.

pore ac personis cæterisque præliminaribus, sine quibus ipsum expediri negotium haud potest, de rei ipsius ageretur controversia. Jamque per dictos Legatos à Svecorum Rege impetratum fuit, se ad communia descensurum vota quamprimum Serenissimus Poloniæ Rex in sequentia consensisset.

Conditiones in quas Rex Svecorum consensit.

Non alios admissum iri in rei arbitrium præter dictos legatos. Svecorum Regem nequidquam agere posse sine Electore Brandenburgico, quin ut ejusdem, principisque Ragotzii ut & Chimielnicii (Kosacorum Ducis) præsentes adsint legati, qui rebus præsint suis, ut qui in suo essent fœdere; adhæc Poloniæ Rex Salvi ad id Conducti contribuat litteras, quibus eorum Legati ad designatum vocentur locum. Res in utroque Regno Ordinum communicetur consiliis, ut sine quorum consensu res abitura sit sterilis, exemplo nuper actorum VVarsaviæ. Fidejussores dicantur, qui de præstandis fidejubeant. Campiductor Wittenbergicus aliique Svecorum captivi libertati suæ reddantur, priusquam res ad manus sumatur. Rex Polonorum de jure sese sistendi cedat, quod

Oxen-

Oxenstiernius debebat, cum captâ nuper Warsaviâ in manus devenisset Polonorum. Dati inde nomine Poloniæ Regis delegati, *Magnus* Regni *Cancellarius*, multique alii. Ex parte Regis Caroli comparuerunt, *Benedictus Oxenstiernius, Beerencklavius, Wrangelius* & *Slippenbachius.* Locus conventûs erat *Suthovia* in Neringia. Lectæ conditiones Poloniæ delegatis displicuêre plane: unde res infecta. Subierat interim Carolum Regem metus, qui promovendis suis per Poloniam victoriis tanto jam tempore aberat ex Svecia, ne quid minus integri per suam domo absentiam in Svecia nasceretur. Augebat metum lectus in Dania miles, & idem in tota Svecia Ordinum nomine studium, qui singulis jam Concionatoribus ex propriis militem imperarunt militem, ut si quid sibi hostile à quoquam contigisset, paratam reditibus, domi manum, quam objiceret hosti. *Wrangelius*, cunctis in Pomerania benè ordinatis, mense Januario in Ducatum venit Bremensem, rebus ibi communi-

Ad dictas conditiones delegati.

Locus conventûs.

Res infecta.

Legitur, in Dania miles.

Wrangelius, ordinatis in Pomerania rebus,

Bremam abit. munibus prospecturus per absentiam *Konincksmarckii. Wolkmannus* *Wolkmannus supplet legiones.* cui summa per id tempus erat concredita rei, legendo occupabatur milite, quo defectum suppleret Legionum. Ad finem ejusdem Januarii Præpotentum Ordinum Legati *Libiaviæ* Serenissimo hæc exposuerunt Electori: *Borussiam summis miseriarum premi calamitatibus, & ipsam sentire Poloniam quam gravibus urgeatur belli incolumitatibus. Sentire item subditos, tum & illos omnes qui recentem fatalis memoriam belli habeant. Ad quas cum omnes miseriarum has ærumnas triste non fatiscat bellum, ipsaque cuncta vindicans Dei manus ultima queque incolis minari videatur, se Præpotentum suorum Ordinum nomine Serenissimum rogare Electorem, ut junctis secum operis, vel propriâ nisus authoritate, deplorandis his belli calamitatibus finem suis faciat officiis, studiis atque intercessionibus, ut debitæ inde Deo nascantur gratiæ, communibus gaudiis universus repleatur orbis, vicini exhilarentur Principes, ac Gentibus cunctis ipsisque incolis solita* *Ordinum Legatorum apud Electorem acta.*

restituantur commercia quibus fatigatas hactenus reficiant fortunas, & lassatos huc usque refocillent animos. Præclarum hoc Legatorum institutum supra fidem Electoris recreavit animum, effecitque ut composito statim ad hilaritatem vultu præsens ipse Legatis in hæc responderit verba: *Non quidquam aliud antiquius sibi in votis, quam ut ditiones suas omnes, maxime autem Borussiam, tot hactenus bellorum quassatam injuriis, pristinæ restituat integritati: seque inde collaturum in communem omnia usum, quantum possit ex suis proficisci viribus. Interim Præpotentibus Ordinibus summas agere gratias, quod tanti negotium momenti ad suos revocent animos. Ultimò precari ut maximus his studiis ipse Deus cælitus bene esse velit.* Dicti insuper ab Electore delegati qui in communia descenderent consilia cum dictorum Ordinum Legatis. Svecorum Rex plures sibi metuens hostes quam Polonos & Moscovitas, jam olim meditatus fuerat, quibus rationibus Poloniæ Regem ad ultimas redigeret incitas: inque eam rem inictis

Electorem reficiunt. proposita Legatorũ.

Electoris responsum.

Electoris delegati qui cum Ordinum agant Legatis.

Caroli cum Cosaccis & Ragotzio pacta. inictis cum Cosacko conditionibus, simul cum Georgio *Ragotzio* pactus fuit, Borussiam sibi futuram, Poloniam cessuram illi. In legendo interim per Daniam milite non sterilis successus. *Ex lecto à Danis milite ingens vicinorum metus.* Proximus inde *Hamburgensibus* metus, *Lubecensibus* & *Bremensibus*: maximus autem *Holsatiæ Duci*, & *Svecis*, qui suspicabantur, hac demum occasione Danos in animum induxisse ulcisci Svecos, per quam Svecorum Rex in Borussia occupatus esset: Inque *Scaniam*, *Hallandiam* aut *Episcopatum Bremensem*, vel *Sleeswicensem Ducatum*, aut *Hamburgenses*, quod se agnoscere noluerint, impetum facturum, aut alia aliqua tentaturum loca vel ad mare vel in mari Balthico sita, ut *Cotlandiam* vel *Oeselam*. *Causa invalescentium simultatum.* Invalescebant autem conceptæ hæ vel inde suspiciones, quod utriusque regni simultates sua in dies sumerent incrementa. Certius unde creditum paratarum harum nubium tempestates proximâ erupturas æstate, maxime cum neque *Gallorum Regis* datæ in id litteræ, neque à *Cromwellio* scriptæ

quid-

quidquam proficerent. Gliſcentibus ita his rebus *Carolus Rex* fratrem ſuum principem *Adolphum* Hagâ Comitum evocavit in Boruſſiam, qui, facto per Bremenſem Ducatum itinere, ibidem loci ut & ad Albim fluvium, ſingulis benè, ut res ferebat, proſpexit. Quæ Dantiſci de rebus agebantur communibus lento promovebantur gradu. Redierat & *Isbrantſius* à Rege & Electore Marienburgo Dantiſcum, qui oretenus referret, quibus conditionibus bellum componi poſſet inter Svecos & Polonos; ſed ſingulis ſe læſos proponentibus ac nequidquam de inſtituto ſuo cedentibus re iterum infecta diſceſſum. Boruſſiæ item Ordines eodem menſe Februario, qua poterant humanitate reverenter communem totius Boruſſiæ exhibentes miſeriam, per quam reverenter à ſuo petebant Electore, juſtis ſatis inducti rationibus, in pacis, quæcunque fieri poſſent, inclinaret conditiones. Hæc dum fiunt *Duglaſſius*, ad id quod potiſſimum Urbanum fuit munimentum

Adolphus Hagâ revocatus.

Isbrantzii ab Electore Dantiſcum reditus.

Res patiò ſecundò infecta.

Boruſſiæ Ordines apud Electorem communem exponunt miſeriam.

Viſtu-

Viſtulæ fluminis aquas reprimere, atque univerſum earum ſtudebat curſum cohibere: ut perruptis hoc modo aggeribus, quibus à Weerderenſibus aquæ arcerentur Inſulis, eaſdem agrumque univerſum inundaret aquis, atque Dantiſcanos ipſos ab omnibus arceret commerciis. Repletæ integræ naves ſaburrâ, lapidibus & arenis, quæ in profundum demiſſæ: & jam infixi ad id per hyemem pali. Legati Confæderatorum Belgarum factum apud Regem, ut maximè commerciis noxium, deprecantes nequidquam profecerunt, quod eam unicam haberet operam, qua Dantiſcanos ad extrema perduceret. Dantiſcani factâ eruptione, ad ultimum Baltici maris ſinum, vulgo *Hoff* dictum, *Tolckant* depredati ſunt oppidum, paucis piſcatoribus habitatum, duabus circiter Elbingâ milliaribus: factâ prædâ omnes in urbem redierunt incolumes. Inſperatò interim cum quingentis equitibus ſupervenit *Czarneccius*, qui eluſis aſtu Svecis Dantiſcum intravit, ſecum inde de-

Perniciosa Dantiſcanis Duglaſſii conſilia.

Perniciosum hoc Duglaſſii factum apud Regem fruſtra deprecantur Ordinum Legati.

Adventus Czarneccii Dantiſcum.

deducturus Regem quique exinde eodem adhuc mense profectus est. Obiit hoc tempore Dantisci *Jacobus Weyerus* militiæ quondam Polonorum Regis ejusdem nomine *Marienburgi* Præfectus, præclari vir nominis & verus Martis pullus. Defunctus etiam *Petrus à Parceval*, Mechanicæ militiæ, ut & aliorum peritissimus, ab Ordinibus Belgicæ militiæ præfectus & apud eosdem existimationis maximæ: Vir fortis ac strenuus, nec non de republica quàm optimè meritus. Rex Svecorum ubi intellexissent Poloniæ Regem cum militiæ suæ Generali Præfecto effugisse Dantisco, universos suos in unum ad Grandentziam collegit manum, quo fugientem insequeretur Regem; vocatus & *Steenbockius* ad idem institutum, qui late per Borussiam & inferiorem Poloniam suos tutabatur limites. *Czarneccius* interim trecentos ad *Roskanium* postravit Svecos. Inde cum Rege *Calisziam* profectus, ubi Poloniæ morabatur Regina, mox *Czenstochoviam* perrexit, quo toto itinere obvias passim Sveco-

rum

Regis Dantisco profectio.

Weyeri mors.

Petrus à Perceval moritur.

Svecorum Rex Regem sequitur Polonorum.

Polonus se confert

Czenstochoviam. rum manus sine magna delevit opera. Circa ultimos mensis Februarii dies, cum Rex Svecorum totam suorum manum haberet collectam, ac jam Polonos insectari meditaretur, datæ sunt ad eum Ragotzii litteræ, quæ significarent, se Cosackorum copiis junctum cum universo jam in Poloniam venisse exercitu. Mutarunt litteræ Regis institutum: qui prius cum illis se jungi maluit, quam quidquam tentare hostile, atque inde demum universam minorem Poloniam sui reddere juris. Sed jam ante à *Marienburgensibus*, *Thorunienfibus* atque *Elbingensibus* jurata se fide pro Legitimo agnosci Domino voluit, ante necdum unquam jurantibus. Misit itidem ad *Electorem Brandenburgicum* & *Comitem Slippenbachium* litteras, qui suas quam ocyssimè copias suis in exiguum jungerent tempus, sequutum Regem, ac finem magnis hactenus impositum rebus. Negatum nihil, impetrata omnia. Thorunium ascendere jussis ab omni abunde prospectum commeatu, vestes datæ singulis, pri-

Ragotzii ad Svecos litteræ.

Caroli ad Electorem litteræ.

primaque fuit armentariæ rei cura, & longa futura expeditio. Hæc dum apparantur *Darmstadiensis* & *Aschenbergicus* deprehensis quibusdam Dantiscanis, eosdem in conspectum usque urbis fugientes sequebantur. Interfecti nonnulli: pauci capti. Sed hanc jacturam pensarunt Poloni captivitate viginti sex militiæ Sveciæ Præfectorum: ipseque *Duglassius* in Dantiscanorum pervenisset manus, nisi inter summa per paludes emersisset pericula. Inde *Lintzavius*, item equitum Cohortis præfectus, suas tentaturus fortunas, Dantisco profectus, haud procul Marienburgo, in vico *Altenaü* octoginta in prædam accepit equos, cum aliis viginti quatuor plaustrariis, qui erant Campiductoris. Missæ mox Poloniæ quoque Regis ad Confæderatos Ordines litteræ, quorum hæc summa: *Non minus ex officio Christiani Regis quam ut laudatis Præpotentum Ordinum aliorumque Principum satisface-ret votis, non incongruum sibi videri, animum suum ad honestas pacis cum hoste conditiones cordicitus componi:* eamque

Darmstadiensis & Aschenbergici ad Dantiscum victoria.

Polonorum in Svecos victoria

Duglassius fuga evadit.

Lintzavius prædam facit.

Regis Poloniæ ad Confœd. Belgii Ordines littera.

eamque unicam fuisse causam, cur cum suo nuper exercitu in Borussiam moverit. Nec quidquam aliud à se postulatum quam quæ armis sibi ablata essent, justo titulo, authoritate Cæsareæ Majestatis, Regum Galliæ ac Daniæ, nec non Præpotentum Ordinum interventu restituerentur, utque Balthici maris tuta in futurum omnibus essent commercia. Hostem autem, rejectis turpiter omnibus pacis conditionibus, suis insistere institutis, ac sub pacis titulo, quem in ore tantum non vero in animis circumferre videtur, à pace penitus alienum nihil tentare aliud, quam ut hac illusos specie addictos nobis alienet Principes. Qua propter quod reliquum est, cum futuræ pacis spes diffluat omnis, stare sibi suisque sententiam communem domi rempublicam omni tueri apparatu, ac justam rei suæ causam succeßumque omnem Deo, ut actionum omnium vindici, peninitissime dedere, prout Amplissimo Præpotentum Ordinum Conseßui ea de re prolixius ex relationibus suorum Delegatorum intelligere liceat. Porro firmam se concipere fidem eundem Amplissimum Ordinem nequidquam dubitaturum de sincero animi sui affectu atque

atque propensa pectoris voluntate in continuando mutua amicitiæ ac societatis vinculo. Datæ hæ erant litteræ Dantisco ad diem nonum mensis Februarii, anno Regni Regis nono. Mense post Martio habita à Danis Ottoniæ, in Insula Fionia, Comitia. Causa fuit quod nihil de Svecis certi ex illorum Delegato expiscari possent, aut quidquam de rebus publicis: ad hæc quod ut inutilis ad id minister clam se ex Dania insalutato subduxisset Rege, cum quo aliàs multa in usum utriusque Regni peragi potuissent. In publico hoc consessu occupatis Ottoniæ Danis, superveniens alius Sveciæ Legatús Regiś sui jussu audaculâ satis quæsivit oratione, *ut intra viginti quatuor horarum spatium aperte sibi responderetur, pacemne cum Suecis vellent an bellum?* Auditâ Legati oratione nequidquam responsum. Advolaverat & alter Electoris Brandenburgici Legatus, modestioribus tamen verbis scire cupiens, *an non in Svecos quæsita pararentur arma?* Responsum *Successum temporis id aperturum.* Re-

Danica Ottoniæ in Fionia comitia.

Audacula Svecorum Legati ad Danos Proceres Oratio.

Electoris Brand. ad Danos Legatio.

versus domum Legatus non sine admiratione in vota Regis sui omnes condescendisse Ordines, inque singulos menses quadraginta imperialium concessisse millia, eaque quatuor pensionibus adnumeranda insinuavit. Quindecim ex nobilitate propriis sumptibus singuli singulas polliciti legiones. Aratris, carrucis curribusque, agris item ac chirographis imposita mox tributa septies mille homines in usum pollicebantur Regni. Factus inde insignis Classis apparatus. Mox sequuta Regis mandata, quæ de publico templi suggestu in vico *Altena*, haud procul Hamburgo, prælecta. *Masculus quisque à decimo sexto ad sexagesimum usque ætatis annum ab armis sibi prospiceret: qui majori careret sclopeto, hasta se instrueret aut lancea. Ditionum, quarum sibi Holsatiæ Dux & titulos vendicat & reditus quæque juris sunt Danici, subditis omnem prohiberi solutionem, nisi qui Danici Regis ad id nomine delegati essent. Ultimò ne quis avenam ex regno exportaret.* Magnas hæc turbas fecerunt, magnæque passim exti-

Regis Daniarum publicatio.

Res vicinæ turbatæ.

extitere fugæ, maximè in Ducatu Bremensi, cujus Metropolis vix ac ne vix quidem militem legere poterat, quod præcipui nomina sua dederint Danis. Unde factum quod Dantisci etiam prohibitum sit cuiquam militem conducere alienigenæ. Rex Daniæ ubi venisset *Gluckstadium*, nova parabat cum Duce Sunderbergio instituere pacta; verum cum is proclivior in Svecum, ut affinem suum, deprehenderetur animo, datis utrinque humanitatis officiis ab invicem discessum. Factæ tamen pollicitationes in neutrius descensurum partes. Svecorum Rex *Carolus* se cum Ragotzianis conjuncturus primum prius se in *Opataviam* convertere instituit, ut in quos ibi incurreret Polonos loco moveret suo. Venit in hoc itinere obviam Regi ipse *Ragotzius* cum comitatu mille ac quingentorum Hungarorum, ac Cosackorum totidem. Adventum Principis dispositus in aciem excepit miles: junctæ Regis & utrinque benevolentiæ: inde publicæ sequutæ lætitiæ. Soluta bis sclopeta, nec non

Rex Daniæ venit Gluckstadium.

Svecorum Rex se cum Ragotzianis conjungit.

auditus tormentorum fragor. Sed communem hanc lætitiam tristis contaminavit casus, quo gregarius quidam miles *Guilielmum Adolphum Naßaviæ Comitem* imprudenter globo trajecit. Sequuta nox magnis transacta solennitatibus. Motis sequente die castris, institutoque in *Savigostum* ac *Miedzygorze* itinere, junctis itum itineribus.

Guil. Adolphus Nassoviæ Comes imprudenter à milite interficitur.

Qui ex comitatu erant Principis, duos regio cum apparatu instructos adduxerunt equos, in quorum altero auro intertextum fuit ephippium, cum minorum sclopetorum annexu, altero vero ephippium ad Hungaricum modum lancea, incurvo malleo & aliis exornatum armis, quorum singula ex puro facta auro, adamantibus aliisque pretiosis ad stuporem exornata gemmis. Tertio die Aprilis habita Zavighostii militaria cum Principe Ragotzio consilia, ac simul inauditum, Poloniæ Regem cum parata jam manu eo fine fluvium transiisse Vistulam, ut si fieri posset cum Lithvanico & Inferioris Poloniæ se conjungeret exercitu. Decretum

Ragotzius Carolo Regi duos donat equos.

Carolus Rex &

tum ergo instantibus occurrere conatibus. Superata *Opatovia*, multisque occupatis munitionibus, itum *Sandomiriam*, atque inde ingenti Hungarorum ac Cosackorum cum numero ad flumen usque *Bugh* perventum. Ubi Brandenburgicus cum *Stenbockio* exceptus miles, qui in subsidium venerat mille quingentorum equitum ac peditum mille. Mirari hic licuit, ut ut maxima instituta hic fuerit expeditio, exercitusque quinquagintà aut sexaginta esset militantium, exceptis, qui exercitum sequebantur, calonibus, lixis aliisque mulierculis, hoc anni tempore tantam rerum omnium adfuisse copiam, ac inter tot diversas nationum gentes, mores linguasque tantam communem animorum concordiam, quin & ipsos Cosaccos, qui in exiguo aliàs existimationis nomine habebant Transylvanos, Svecos appellitasse fratres! ac ubicunque subsisterent, vel alias quæsituri exirent prędas, quæ ad cibum & potum facerent, sponte habuisse communia. Hic tamen quantus

Mira rerum omnium copia in Exercitu.

Exercituum concordia.

Ad manus cum

Polonis veniri non potest.

tus quantus fuerit exercitus, qui ad officium redigere tentabat Polonos, quæsitis quamvis undiquaq; occasionibus, nequidquam tamen cum hoste manus conserere potuit, ut cujus duces tam magni populum exercitus multis diu fatigare quærerent ambagibus, & multis eo adigere itineribus ut ultimo deficerent. Auditum interim Czarneccium ad *Latonieriam* copias suas in duas divisisse partes, ac cum sua simul manu ubi transisset Vistulam, cum parte petiisse Warsaviam, reliquam imperio concessisse *Sapiehæ*, *Potoscii* ac *Lubomierscii*. Quare mutatis consiliis, cum Svecis Confœderati in majorem diverterunt Poloniam. Petita inde *Curovia* & *Minsko*, in quo toto transitu, ut ex Regis ipsius litteris patuit, nulli obvii erant Poloni, quamvis crebra increbuerit fama in eodem datam itinere pugnam, ac commisso Svecum prælio victorem. Venit per hæc tempora Regiomontum *Rosenvinckius* legationis nomine ad Electorem Brandenburgicum, cum habitis gratiis quod mediationis in-

Polonorum in fatigandis hostibus astutia.

Falsi rumores de prælio Svecorum.

Rosenvinckius venit Regiomontum.

interposuerit operas inter Daniæ & Sveciæ Reges, ac adhibitis simul votis ut, illo authore, compositis rebus Polonicis, optata diu restitueretur tranquillitas. Haud quietæ interim Dantiscanorum ac Svecorum inter Urbem & Marienburgum manus; sed ancipites quarum vellitationes nequidquam memorabile habent. Venêre interim Pillaviam quatuor ex Svecia naves cum una Veloce, ad deferendum defuncti Regni Cancellarii cadaver. In ipsa Svecia publica celebrabantur comitia, non alium in finem quam ut mature prospiceretur, quid agi in regno oporteret, hoc maximè statu, quo vicini male sibi affecti essent principes. Missi igitur ex principibus passim viri qui singulis rebus prospicerent. Regni Satrapa abiit in *Smallandiam* qui *Iencoppinga* interesset conventui: Militiæ Generalis in *Gothiam* occidentalem eundem in finem ad *Scarrenses*: alii Regni proceres *Orebroam* in *Norlandia*; *Axelus* autem *Lilius* Campimareschallus *Calmariam*, ut collectum inde militem

Ancipites Dantiscanorum cum Rege vellitationes.

In Svecia celebrantur comitia.

In Svecia universo prospicitur regno.

tem ad Regni fines perduceret. Caroli autem Gustavi per Daniam legatus suis non deerat officiis. In dies serio apud Regem instabat, ut quæ nata essent dissidia componerentur amice, inque eum finem nonnulla calamo concepta ad nonnullos Daniæ transmittebat proceres, sæpius etiam cum delegatis communicabat; verum nihil unquam aliud responsi tulit, quam id quod sæpius ei jam inculcatum erat, scilicet, *damni compensationem posci, & cautionem in futurum.* Missa ad Regem Gustavum sententia, ut quid sui esset judicii de eo expiscaretur. Interim per totum Regnum destinatæ supplicationes, & singula ad proximum parabantur bellum. In Holsatiam in dies plures ex Dania, Iutlandia, aliisque locis deducebantur milites, qui munitiora occuparent loca, quin & qui considerent vicatim. In Crempensi & Wilstermariensi agro ad Albim fluvium, haud procul à Cataractis, quorum beneficio agri universi inundatione oppleri possunt, jussu Daniæ Re-

Svecorum in Dania legatus sine bello cuncta componi studet.

Responsum Svecorum Legato datum.

Danicum paratur bellum.

Regis septem erecta munimenta, quæ ipsi *Macslandienses* in se tutanda receperant, ut à militum sibi caverent injuriis. Item à *Slesvicensibus* ut tutior Rex esset, urbem aliquot peditum auxit cohortibus. Eadem cura *Kiela*, *Toninga*, *Tretavia*, *Teemsbuttela*, *Funsbutele*. Ad Altesloam recens erecta munitio tantæ magnitudinis, ut ipsa caperet suburbia: ac data inde imperata ut quæcunque in Iutia esset militia ad extremos sese conferret limites. Sveci rebus prospecturi suis occupata in Albi fluvio insula *Creutsandia*, haud procul Stada novum in ea posuerunt fortalitium, quo naves coercerentur tutius, ne cum flumine porro se descenderent invitis. Inde cum quatuor legionibus, quarum summa duorum erat millium, auspiciis *Weymari*, *Assenbergii*, *Buyteri* & *Conincksmarckii*, trajecta Albi itum in Episcopatum *Lauwenburgicum*, atque inde in *Pomeraniam*, ut collecta majori ad Wismariam manu Daniarum Regis observarent scopum, qui jam potiorem in dies

Ad cataractas septem Danorum eriguntur munimenta.

Altesloa munita.

Sveci venit in Pomeraniam.

Holsatiæ imponebat militem. Svecorum Rex cùm Ragotzio conjunctus ac diu per ambages à Polonis actus, ne pluribus fatigaretur itineribus, novo consilio pontem Bugho imponit flumini, trajectumque exercitum deducit *Brzesciam*, non inter minima Lithvanorum munimenta, ad eundem navigabilem sitam fluvium, quamque mille Polonorum præsidio instructam audiverat. Præerat tunc ei Castelanus *Jawicki*. Missus ad eum tubicen qui deditionem postularet: additæ & minæ nisi sponte sese dederet, extrema quæque superfore. At præses loci confisus firmitate, ut quæ obsidioni etiam validæ reniti posset, id ad Regem dedit responsi: *Locum suæ commissum fidei, atque exinde non posse nisi ex boni militis officio agere: extremorum minas nequidquam metuere, quin & expectare.* Rex habita temporis ratione, erectoque tormentario aggere, ex quo Præsidis ipsius peti posset habitatio, ubi immissi in ipsa domus penetralia singula disturbassent globi, maximo per-

Brzescia obsessa.

Iawicki praest Brzesciæ.

Jawickii responsum.

perculsus terrore postero mox die justis se Regi dedit conditionibus. *Brzescia se dedit.* Præsidii pars ad *Parzanum* deducta territorium: alii qui *Radzivilio* quondam militaverant in Svecorum abierunt militiam: alii Transylvaniæ principis sequuti partes: paucissimi ducis sui *Woynæ* relicti imperio. Ingressus urbem Rex, habita supplicatione, postero die quos ex præfectis domi invenerat præsto, omnes in convivio habuit splendidè. Die decimo octavo mensis Maji dicti duo exercitus se à se invicem separarunt. *Ragotzius & Svecus separantur.* Svecorum Rex versus Thorunium se convertit. Transylvani imposito Brzesciæ duorum millium ex suis præsidio duce *Nimritschio*, in apertis consederunt campis, in quibus aliquantulum refocillarentur. Omnes inermes & pannosi: rerumque bellicarum expers turba plus habuit famæ, quam gloriæ. Multi ex censu illorum iter facientes defluebant: pars ægritudine correpta in itinere mansit, fame pars aliisque occubuit injuriis, ut non absurdè credi licuerit, mediam vix illorum

partem, qui ex patria discesserant, in Regis venisse conspectum. Multæ separationis fuerunt causæ. Egestas Transylvani militis, imperitia rerum, ac tardior in instituto progressus, cui magno moles fuit impedimento: sumptus adhæc inutiles, atque utilitatis exigui fructus. Accedebat & id ad causas, quod Turcici Imperii Vasallus hæc sine Feudatarii sui arma jussu susceperit; & quod, descendente cum exercitu in Transylvaniam Imperatore, subditi Principis sui præsentiâ carere non possent. Pars militiæ quam Elector miserat Brandenburgicus trium millium equitum, & duorum peditum, quamque in Vilnenses destinaverat agros Rex Svecorum, mutato per Neumarckiam & *Lodaviam* itinere venit Thorunium, ut se consociaret *Steenbockio*: qui collecta octo millium manu, ubi *Trebnitzium* superasset fluvium ad *Pultowisko* se cum illis conjunxit. Hæc dum fiunt summus militiæ Polonicæ præfectus *Czarneccius*, trajecta paulo ante Vistula cum suis in Inferiorem

Causæ separationis.

Electoris miles venit Thorunium.

Jungit se Steenbockio.

rem se contulerat Poloniam, ut cum submissa ab Imperatore se manu conjungeret. Dantiscani & perforatos frustra reparare tentarunt aggeres, & inutilem insumpserant operam in expugnando principali munimento. Quæ Comitia per Sveciam habita diximus, maxime in *Uplandia* & *Sudermannia* aliisque in locis, in his dilucide singula per *Roosenhanium* & *Possium* quæ Regiæ essent informationis proposita sunt, à novissimis comitiis ad hoc usque tempus, præcipuè autem quæ Regis litteras & Ordinum ad eas rescripta concernerent. Monuit insuper ex censu aliquos legerent populi, pararentque sumptus, hoc maxime periculoso tempore, quo vicini quique mala regno minarentur principes. Audita Regis legatione & initis omnium consiliis unanimo decretum suffragio & militem & impensas parandas, sed quæ domestico regni impenderentur usui, non verò transferrentur peregrè. Parata item Regia classis, ac Ordines ternas decreverunt sup-

Dantiscanorum inutilis conatus.

Rex Svecorum quid actum voluerit in Svecicis Comitiis.

Quid in Comitiis conclusum.

ſupplicationes. Eodem menſe Majo Ordinum ex Svecia nomine delegatus *Guſtavus Duvaltius* venit Hafniam, qui traditis in Senatorum conſeſſu litteris, juxta quam ocyſſime ſe expediri rogavit. Summa litterarum continebat reſponſum ad priores querelas, quibus incuſabatur factum Svecicæ ad Dantiſcum claſſis, ſed & recentes inſtitutæ contra Danos querelæ, ut qui ad idem loci Svecorum obſuerint progreſſibus. Addita monita & preces, *ut remotis ex parte Danorum hoſtilibus cogitationibus, locum darent ſopiendis male conceptis undiquaque ſuſpicionibus, promoverentque Septentrionalis utriuſque Regni concordiam: ut quæ candide olim atque ſincere conſtituta fuerunt, etiamnum conſerventur probè: ſe ex ſua parte, quantum fieri poſſet, officio non defuturos.* Legatus cum mature urgeret dimitti, paucis reſponſum: *male ſibi reſtituerentur erepta: eam unicam eſſe ſedandorum malorum rationem: quæ ſi negarentur, media à Deo ſibi conceſſa adhibitum iri.* Triduana ſequuta per Daniam ſupplicatio: & recens

Guſtavus Duvaltius venit Hafniam.

Sveci Danos dehortantur à bello.

Danorum reſponſum.

in

in dies utrique militiæ navali ac terreſtri parabatur miles. Ex Norvegia miſſi ſexcenti & triginta ſex nautæ, quibus proſpiceretur claſſi: quos poſtea ſequuti plures. Inde in Daniam relatum eſt, exiguam Danorum naviculam à Svecorum claſſe, quæ ad Dantiſcum hærebat ad anchoram, captam eſſe: unde Dani itidem tres grandiores Svecorum naves, ſale ac vino onuſtas, in Balthici maris detinuerunt anguſtiis, quæ ex Luſitania recens adventantes iter ſuum inſtituebant Holmiam: cumque una ex illis invitis Danis abitum pararet, inſequuti qui eam acciperent prædam, tribus aut quatuor ex illis interfectis, per quorum jacturam navigationi eſſet inutilis. Magna hic Legati Svecorum cura, ut captam hanc & alias detentas liberaret duas; ſed impetrante nihil, permutatis ex capta nave Svecorum nautis, impoſitiſque Danorum, navis in Hafniæ deducta portum, in qua eandem exonerarunt. Captæ inde & aliæ duæ Svecorum in Balthico mari naviculæ

Utrinque naves capiuntur.

culæ cum una cymba, quam in eundem detulerunt portum. Mox Rex ipse transmigravit in Scaniam, jussitque universum eò transvehi militem: facto mox censu eundem ad limites duxit Svecorum. Electoris Brandenburgici legatus videns se nihil apud Regem profecturum, impetrata discessit venia, adque Electorem venit Regiomontum. Idem à Svecorum factum Legato; sed qui priusquam proficisceretur in patriam, in Regis tradidit manus factæ pacis anno 1645 articulum, cujus mens erat; *ut, si quæ nascitura essent inter Reges dissidia, priusquam ad arma veniretur, eorum scriptis primum exponerentur causæ, de quibus in confinibus regnorum dijudicaretur.* Galliarum Regis legatus nomine Regis sui suum offerebat interventum, sed serius quam parata jam ferre possent arma. Occupatis cum Dano Svecis Polonus aliquantum respirare cæpit, interque primas suas reputabat curas Svecos ejicere Cracovia: & in id Czarneccium, pro præstitis suis benè in rempublicam

Legati discedunt Hafnia.

blicam operis, Russiæ donavit Palatinatu. Interim recentia Polonis cum universo Senatorio Ordine subiere consilia: sed quia serius quam licuit, hinc credi vix satis tuto illis potuit, in causa religionis, ut qui æquo justius Romanæ addicti sunt Ecclesiæ. Cogitari cœpit *Dei solius jus esse in conscientias, nec quidquam hominem in eam sibi vendicare posse: Nec aliud humani quid quam esse quod minus ferat imperium, ex eo quod eandem homines omnes habeant communem. Solum in conscientias imperium felicissima queque destruxisse imperia, exemplo potentissimi imperii Caroli V, qui, cum zelosissimis Pontificiæ religionis asseclis publica indulsisset mandata, Lutheranos persequerentur, Calvinistas atque Mennonitas, inquietum semper inde habuit imperium. Hispaniarum item Regem eodem modo non Confœderatum tantum amisisse Belgium; sed & sine periculo etiam non fuisse jactura totius Regni, per instauratam Inquisitionis Cameram in omnibus suis ditionibus. Gallorum contra Regem inter auspicatissima rerum florere, quod tutas singulis*

Nova Polonorum in Comitiis consilia.

Solus Deus conscientiis imperat.

Exempla infortunatorum imperiorum ob tyrannidem in Religione.

Exempla fortuna-

torum Imperiorum quæ non grassabantur in conscientias.

gulis patiatur conscientias. Confœderatos itidem Belgas hoc solum subnixos fundamento felicissima passim circumtulisse arma: ipsumque Angliæ Protectorem sua diu continuisse salva, quod liberas quibusvis permiserit conscientias, quo, pertractis in regnum suum vicinis, nihil quidquam adeo fuit arduum, quod non aggredi sustinuerit. Unde decretum per omnes Regni ditiones promiscuam publicare religionem. Circa finem mensis junctus Danicus eques substitit ad *Oldesloam*; Pedites vero ad *novum Monasterium*, ingentem *Principis Sunderborghii* vicum, quo omnis in universum asportabatur commeatus. Ad Junii mensis initium Danus *justitiam suorum publicavit armorum in Carolum, eorumque exposuit causas:* addiditque *quomodo in diversis suis ditionibus frequenti se affecerit damno, Bremensem & Weerdensem Episcopatum, contra signatas à Svecico Ordine litteras, agros item suos atque infinita ibidem sibi erepta mobilia, nec populum inde Svecicum pro dato quidquam restituere voluisse damno.* Ienensem *item &* Zernensem *in Norvegiæ*

Libertas Religionum data per Poloniam.

Causa belli in Svecos publicata.

vegia per vim sibi debitum detineri agrum, Telonia *in Sontico sibi pacta freto fraudulenter suis detracta reditibus: Dantiscana item commercia in suum impediri prajudicium. Ad hæc cum Senatorius Svecorum Ordo omnes has hactenus nihili fecerit injurias, suas ab omnibus bellicorum injuriis immunes coram Deo & mortalibus cunctis profiteri manus.* Carolus contra cymbas ac naves omnes arresto per Borussiam detentas *Pillaviam* deduci jubet transferendo in Pomeraniam exercitui. *Duglassius* Campi creatus Mareschallus, *Gustavus Gabrielides Oxenstierna* Locitenens Generalis. *Henricus Hornius* aliique ex Ordinis militiæ præfectis multi ex Borussia profecti iu Sveciam, qui domestico ibidem præessent exercitui. Ipse Svecorum Rex ubi valedixisset Ragotzio, ut ante dictum, in Poloniam movit, atque inde in Borussiam. *Stenbockius* Regi obviam veniens jussus est Ragotzium in aliquam itineris partem comitari. In transitu volens primùm tribus *Plotzko* milliaribus imposito flumini ponte

Missi in Sveciam qui præsent exercitibus.

Rex Carolus movet in Poloniam.

te transire, mox mutavit consilium. Jussit igitur eundem figere ad *Sakroczinum*, nequidquam ex adversa ripæ parte ostentantibus sese Polonis, qui ad transitum Regis penitissimè evanuerunt omnes.

Ragotzius Poloniam vastat.

Ragotzius autem, in eodem cum *Steenbockio* comitatu, quidquid Polonorum erat omnium misera quævis vastabat clade: non munitionibus parcitum, non oppidis aut vicis, quin & obvios quoscunque ferro persequebantur ac flammis usque Warsaviam, quâ ipsâ junctis expugnatâ viribus quidquid inerat Polonorum ad internecionem deletum: dirutis munimentis in ipsa grassatum ædificia.

Warsavia diruta & Poloni ad internecionem deleti.

Hic *Ragotzius* & *Steenbockius* sejuncti, quorum ille per majorem redux Poloniam; hic vero per minorem, misere singula vastabant, ne peregre Cæsaris veniens miles quidquam in usum offenderet suum.

Miseræ Polonia conditio.

Svecorum Rex Carolus transmisso Vistulæ flumine, tum primum auribus excepit suis Danorum Regem sale suorum onustas detinuisse naves, ac se

Regi Carolo innote-

jam

jam totum parare ad bellum, quo ex Holsatiâ Germanicum fatiget solum. Venit mox *Straesburgum*, atque inde *Thorunium*, ubi Præpotentum eum expectabant Legati, qui adventanti salutato concepta quædam calamo in manus tradiderunt, quæ penitioris fœderis concernebant fidem. Rex ob prolixas suas occupationes eos rogavit, se vellent comitari in Pomeraniam. Inaudivit etiam tum Danorum Regem fæcialem cum tubicine in Sveciæ ablegasse limites, qui publicum indiceret bellum. Quare non solum qui ad *Wolgastum* in Poloniam transmittendus erat miles, sed & universa quæ per Poloniam erat manus redire jussa: quibus Comitem præfecit *Sultzbachium* & Marckgravium *Badensem*, additis mandatis ne milites ab hostilibus arcerent armis. Per hæc tempora Rex Polonorum se continebat Czenstochoviæ, ubi Galliarum Legatus *l'Ombre* hoc utile Regi proposuit medium cõmponendo Svecorum bello, nec non parandæ paci inter utrum-

scit Danos parare bellum.

Fæcialis Danorum missus in Sveciam.

Carolus vastare jubet Poloniam.

utrumque regnum, ut, quod Rex Svecorum ante petierat, *nimirum Confœderatorum Sveciæ Delegatos tractandæ interesse paci non denegaret: atque inde ad instantiam Regis sui factum promptè decerneret, ne diuturnis rei procrastinationibus hosti subeat plura ac Regi minus toleranda petere.* Responsum calamo: *solicitis curis Christianissimi Regis ingentes haberi gratias; mirari tamen Poloniæ Regem contra primam Legati, de non admittendis Confœderatorum legatis sententiam, novum apud se institui consilium, maximè cum Rex Poloniæ apertè satis subinnuerit antè, in ea se esse cum Cæsarea Majestate confœderatione, ut sine illius interventu nequidquam transactum esse possit, quin etiam non redditis illis omnibus, quæ sui eßent juris. Nec minus stupere ad id quod præsens requirat responsum, cum sciat Svecos pacis ne cogitare quidem conditiones; sed illis tantum apud animum ludere suum, ut qui de loco, tempore ac ipsismet Delegatis diversa spargant. Adhæc se nolle Christianissimum latere Regem, jure antiqui fœderis cum augustissima domo Austriaca, Magno Moskoviæ Duce, aliisque* Regi-

Consilium Galliarum Legati Poloniæ Regi datum.

Polonorum responsum.

Regibus atque Principibus, quos sua apertura esset dies, se ita convenisse, ut nec de loco, nec de tempore, neq; de Delegatis, nisi illis conscius, cum quoquam agere possit. Interim pro innatis sibi ad tranquillitatem studiis, omnia ad pacem allaboraturum, quantum per vicinos suos sibi licitum fuerit. Tum & ne tempus in posterum frustra teratur, Serenissimo itidem aperire Regi se ad nullos pacis descendere posse tractatus, priusquam hostes suis decedant limitibus, ac res cuncta in priorem restituantur conditionem. His factis pronum ad omnia Regis fore animum, maxime vero ad id ut, præsentibus amicis suis Confœderatis, de facto utrinque transigatur damno. Venerat item ex Hungarorum Regis sive Cæsareæ Majestatis aula *Baro Gousse* qui Serenissimum Daniarum Regem in suo animaret instituto, atque in inchoato contra Svecos collaudaret bello, ut Polonorum Regis calamitatibus utilissimo, quod hostium diverteret injurias. Factæ itidem pollicitationes quod ipsa Cæsarea Majestas non adeo sit difficilis ad petendos

Imperator Danum in susceptis firmat armis.

Imperat. male

affectus Svecis. tendos bello Svecos. Hujus abunde fidem facere posse submissas à se suppetias, quæ, post discessum ex Polonia Regis, jam moverint ex Silesia: quin & ipsum *Cæsaris ad Brandenburgicum Legatio.* Cæsaris Delegatum *Isolam*, ad Brandenburgicum Electorem eo nomine delegatum à principe suo in mandatis habere, ut justissimas ei proponat rationes, quibus illum inducat ad speratam cum Poloniæ Rege pacem. Additum juxta ipsa quoque Vienæ confirmata esse decreta, ni Brandenburgicus propositis acquiesceret conditionibus, mittendum proximè exercitum illius destinatum ditionibus, aut alia quæcunque in Imperio passurum incommoda. His omnibus instigatus Danus jam in aperta prosiliit arma. Ipseque Campi mareschallus *Bielius* militem suum in *Census militiæ Danicæ.* Septimontanis recensuit ericetis, qui octo fuit legionum equitum, peditum vero novem cum viginti novem majoribus tormentis, & alio multo itidem apparatu. Sequuta inde reparatio pontis Rynbeciani. Mox Hamburgum ad mil-

milliare usque accessum. Inde in Rynbechiano & Tritaviano Principatibus gravis incolis molestia: depasta immatura seges: bona incolarum sine discrimine prædæ data, & quæcunque aliorum essent per nefas surrepta, Medium mensis transactum ad *Burghum Ericeti.* Vigesimo primo inde die *Pinnenbergam* versus secundo Albi flumine motum: nec unius conjunctioni destinatus locus. Ab Altenavia *Blackenesam* usque repletæ picetis ripæ ad quæ tanquam pharos tutum haberent transitum. Idem à Suecis in opposita sua factitatum ripa, quo sine suorum noxa hostibus resisterent potius. Erant Svecorum mille ducenti qui Danorum repellerent transitum. *Stadæ* prospectum erat octingentis, & *Boxium* triginta habuit viros: nec vicinis quibusque locis sua deerant præsidia. Vigesimo quinto ad *Geluckstadium* suos, nullo resistente, cum quingentis transmisit *Eggericus*, qui statim exiguum quoddam fortalitium, quod à viginti tantum defendebatur viris in suam redegit

Dani cuncta vastare incipiunt.

Dani conantur transmittere Albim.

Svecorum in Ducatu Bremensi cura.

Eggericus invadit Ducatum Bremensem.

potestatem. Sequente die sequutus eum *Billius* & *Urias* cum maxima copiarum parte, comitantibus viginti quatuor majoribus tormentis, minoribus duodecim ac quatuor mortariis. Eodem die transmisit quoque legionem suam *Wanckius*. Profectum inde *Vriburgum*, captique sedecim Svecorum equites, ac duo Locitenentes. Vigesimo septimo transmissus universus commeatus, *Roosenkrantzius* cum omni suo peditatu, ut & *Wachtius* cum equitũ cohortibus. Reliqua manus Duce *Bouchwaldo*, quæ sequenti sequuta die, cis ripam mansit Holsatiam in tuto habitura: sex erat cohortium equitum: mille eorum qui concionatorum sustentabantur stipendiis, ac duarum legionum peditum. Eorum qui flumen transierant octo erant millia. Prima cura erat *Bellemarium* occupare fortalitium ad *Oesteram* situm, cui centum tantum præerant milites: inde *Weßelhoreti* junioris Koninckmarckii splendidam igne consumere domum, haud *Rottenburgo* procul sitam. Proximo inde die vigesi-

gesimo nono *Bremerveurda* obsidione cincta ac ex duobus simul tormentariis tentata aggeribus. Intercessere interim ipsi Svecorum Regi exiguæ quædam vellitationes cum Polonis & Cæsarianis, sed quæ nihil merebantur laudis. Intellectis tamen Danorum progressibus, relictaque in prædam Polonia, cum nihil præterea posset, & retentis quibusdam in sui tutelam per Poloniam munitionibus pervenit *Stetinum*, habente ad *Wolgestum* Wrangelio insignem bellicum apparatum. Junctis inde viribus ventum *Damam*. Visitatæ urbes *Gripsvaldum*, *Straelsunda* & *Wismaria* adque fidem & constantiam monitæ. Tandem ad *Demminum* universæ Svecorum convenêre copiæ. Itum inde *Rostochium*, mox *Molmam*: petitum item *Neodorpum*, quod Lunenburgensis est Ducatus. Secundo die Augusti motis itum castris *Tutavum* & *Rostropum*: indeque *Fulfsbutelam* unico ab Hamburgo milliari. Hic dati aliquot quieti dies, ac adnumerata militibus pecunia à Gallis sub-

Bremerveurda obsidione cincta.

Polonia in prædam à Svecis data.

Svecus copias suas transfert in Pomeraniam.

Datur militibus pecunia.

submissa, quæque parata jam diu Regis expectabat adventum, ut de singulis quisque rebus sibi prospiceret. Hæc dum fiunt multi ex civibus in Svecorum veniebant castra, qui Regem ejusque viderent copias. Ipse Magistratus quoque Urbanus multa submittebat in exercitum quibus reficeretur, quin & Regi vinum & alia offerebat multa. Rex quò singulorum responderet aviditati volentium se contueri, subinde per castra sua circumequitabat: nec in colloquium aliquando cum nonnullis, etiam civibus, descendere dedignabatur, subjiciens nonnunquam, *an crederent se adhuc vivere?* Petentibus ut tuto cuilibet suas inhabitare domos liceret, aut colere agros, non verbis tantum pollicebatur, sed & scriptas tradebat immunitates. Petitum inde à Lubecensibus ut subministratis navigiis sibi Albim transire liceret; sed quod petitum apud Regem justas ob causas honestissime excusatum, Innotuit mense Julio Danorum Classem viginti sex bellicarum & quin-

Hamburgenses turmatim in Castra veniunt Svecorum.

Rex ab omnibus conspici amat.

Lubecenses navigia transitui negant.

quinque incendiariarum cum duodecim præter propter instructam millibus esse paratam, ac in ternum imperium divisam sub auspiciis Regis, & cui in quinque menses abunde esset prospectum. Cum hac classe Rex ipse primùm ad Straelsundam conspectus, mox ad ostium fluminis Vistulæ ad anchoras substitit: date ex sexagintas majoribus tormentis signa, ex quibus suus urbanis innotesceret adventus. Mox missus in Urbem Regius à Secretis. Cum hoc Consul unus, Scabini duo, atque unus ex Syndicis in Classem Regi adventum gratulaturi venerunt, allatis quibuscunq; quæ Regem reficere possent. Habito unà prandio, ac mox communicatis secretis consiliis, illi suam repetierunt continentem; Rex verò solutis anchoris iterum se mari dedit Balthico, ac tandem se exposuit Hafniæ. Data classi mandata ut ad *Oeselam* insulam vela faceret erra-bunda. Inde profectum in insulam Rugiam, in quam expositi quingenti multam armenti pecorisque

Danorum classis.

Adventus Danorum Regis ad Ostium Vistulæ.

Danorum Regis reditus Hafniam.

fecêre prædam; quin & tributa extorquebant per minas incendii nisi parerent; verum à quibus mox destiterant, ubi per adventum nonnullorum Svecorum in suas repulsi essent naves. Dani qui Junio mense *Breemervordam* obsidione cinxerant, tam valide oppugnabant oppidum, ut, quantumvis maximis quibusque laboribus præfectus illius *Lindi* sese defenderit, per frequentes tamen impetus, exsiccata fossa perruptisque vallo ac muris, ultimo sese dedere necessum habuerit. Exitus honestæ concessæ conditiones. Exeuntium militum erat centum & quinquaginta numerus quorum plerique in victorum sese dederunt obsequia. Præfectus Bremam se contulit. Unde cum alio discederet, multam penes se habens pecuniam, quo pervenerit incertum est. Inde Dani duabus aucti Legionibus, retracto pede *Stadam* verterunt, ac die vigesimo quarto per tormenta impetum in urbem facientes, suburbanos hortos omnes atque ædificia delerunt incen-

Dani pelluntur ex Rugia.

Bremerverda sese dedit Danis.

Danorum ad Stadam adventus.

incendio. Per hoc tempus *Hamburgenses* empta à Svecis transmiserunt arma, quod à Danis nequaquam prohiberi potuit; quorum tamen præfectus *Frytagus* ad Altenaviam prædam cum centum faciens equitibus, in currum incidit cupis vini onustum, quæ minoribus repletæ erant sclopetis; alter ad Wismariam usque progressus centum in prædam secum attulit equos, quingentos boves ac viginti quinque equitum Svecorum. *Frytagus prædam facit armorum.* Quidam etiam ex classis Danorum præfectis exposito ad Visurgim milite fortalitium vulgo *Gesemdorfschantse*, magno instructum commeatu occupavit, ut & aliud fortalitium *Leerschantse*, sed non sine majore laboris mole. *Danorum progressus.* Ventum inde *Burghtum*, ac *Svinghium* cum *Veurda* in potestatem Danorum data. Ad *Hoornborgham* difficilior repulsis Danis fortuna. Inde occupatis ubi prospexissent locis, audivissentq; Dani Svecos iter suum parare in Holsatiam, assumptis ducentis secum equitibus ac peditibus mille quingentis, superata Albi,

bi, limites suæ tutabantur patriæ. Qui trans Albim manserant varias subinde ad Stadam & graves habuere vellitationes. Quæ reliqua Danorum fuit Holsatiam manus in dies ad *Oldensloam* conveniebant & *Otterseen*, quò tandem & qui trans Albim erant se paulatim contulerunt. Duces *Brunsvicensis* & *Sunenburgensis* proximam hanc metuenteṣ flammam, limites tutabantur suos, ac dejectis undique pontibus, perfossisque itineribus ab ingressu arcebant hostes. Interim Hungari obsidione cinctam habebant *Cracoviam*, quam Svecorum Rex auspiciis *Wurtzii* omni abunde repleverat commeatu, non nisi invitus locum deserturus, ut caput & metropolim totius Regni. Calendis Augusti erat Danorum manus ad *Uttersen*: adventantibus mox Svecis se collocavit ad *Itsehoë*. At Carolus Rex cum ad *Ottoniam* venisset oppidum, statim se cum mille equitibus in campos exposuit. Hoc Dani videntes ad *Elmsbornam* munimentum cum sua venere manu, datisque pauculis vellita-

litationibus exigua re parata ab invicem discesserunt. Missus inde *Wrangelius* & *Avensonius* in Ducatum Bremensem cum sexcentis equitibus & aliquot peditum cohortibus, qui Danos à Stadensi depellerent obsidione, Reliquis indictum copiis postero die loco moverent. Cum movissent castra incensa. Census militum erat septies mille equitum, ac peditum quater. Progressum *Weelam* versus. Mox, negantibus Hamburgensibus & Lubecensibus navigia quibus per interposita flumina apparatum transferret suum, duodecim majores nactus est cymbas, quibus Hamburgo Maghdenburgum versus ititare non infrequens esse solebat. Transmisso flumine ad Stadam se collocavit, novum erecturus fortalitium ad *Duyfelrinckium*, ne quæ præterirent naves, quæ non prius laxassent vela atque ad ripam appulissent. Manum non admovit operi quam tres quæ præternavigabant naves apud se detineret invitas, uno nauta amisso priusquam paruissent: quas su-

Hamburgenses & Lubecenses negant navigia.

suspectas deprehendit merces eas in usum convertit suum. Mox per easdem detentas à se naves suos qui Stadæ erant Albim transire jussit. Motum inde *Elshornam* in *Crempermarsia*. Capta post tria munimenta, quorum duo priora *Kreuser* & *Neudorfer* vi Danis erepta, amisso *Angelio* & aliis ex præsidiario milite; *Moerium* fortalitium, priorum exemplo motum, projectis se dedidit armis. Omnium præsidiarius miles quingentorum erat militum, prædæ duo majora cessere tormenta, atque vexilla quatuor. Hinc munitiones solo æquatæ. Daniæ junctis hærebant copiis, Sveci late vagantes ad *Gluckstadium* usque passim tributa imperabant. Tentatum etiam vi *Steenbergericum* munimentum, sed non quo optatum successu. Bona hic pars cecidit militiæ. *Gelinckhausianus* inde profectus misit bis mille *Itsehoeam* cujus deditionem postularent. Præfectus loci audactior arma tantum sibi in Regem parata respondit, non animum. Facta urbis obsidio, & obsessorum non

Moerium se tradit Svecis.

Munimenta diruta.

Itsehoa obsessa.

non ingloria virtus. Cæperuut etiam fieri adductus. Iteratò postulata deditio, quæ, cum præcedente nocte ducentis adaucti essent peditibus ac quatuor majoribus tormentis, itidem negata. Obsidentes ne per repetitos sæpius impetus magnam militum facerent jacturam, rem tormentis aggressi tam valide urgebant obsessos, ut nata per urbem flamma, adaugentibus eam ventis, in tantum abierit incendium ut urbis pars potissima conflagrarit. Milites, cum extinguendis non sufficerent flammis, relictis civibus ac oppido *Crempam* versus ac *Gelu͏ckstadium* profugerunt. Sequente mox die cum invalescens iterum ventus consopitas ex pruinis excitasset flammas, & per aquarum interstitia in oppositam urbis projecisset partem, quod reliquum erat ædificiorum, cum præclarissimo ibidem loci Divæ Virginis monasterio, aliisque templis in ipsas redegit favillas, nequidquam octingentis in id allaborantibus Svecis ne quid ab in-

Itsehoa flammis peru.

cendio detrimenti tam magnæ fieret urbi. Damnum æſtimatum ad octies centena imperialium millia. Hic Svecorum Rex relictis quadraginta ſeptem equitum cohortibus ſub præſidio *Badenſis*, qui ex Ducatu Bremenſi adventantem expectarent *Wrangelium*, ac cum quo ſe jungerent, ſeq; ſequerentur, ipſe cum reliquo exercitu tetendit in Holſatiam *Rensborgham* uſque: unde ad diem vigeſimum ſecundum ejuſdem menſis advolavit *Gottorpium* ad *Sunderborghenſem Comitem*, juſſo toto exercitu penitius pergere in Holſatiam, qui ſuum quæreret hoſtem, atque regionem ſimul totam ad tributi officium redigeret. His ita menſi impoſitus finis. In *Witſermarſchia* ſingulo aratro impoſitum octodecim imperialium tributum: adeo ut per quam exiguo temporis ſpatio in tributum allata fuerint decies octies imperialium millia. *Crempermarſchiani* certam pacti pecuniæ ſummam non minoris æſtimabantur, ne militum darentur prædæ. Data & alia

Damni æſtimatio.

Impoſita Holſatis à Sveco tributa.

& alia in singulos menses pecunia, præter eam quæ Danorum Regi adnumeranda erat. Suboriebantur identidem etiam nonnullæ vellitationes inter Svecos, & qui excursiones faciebant *Gluckstadio.* Quare propius interdum manus conserentibus non exigua Danis fuit præda, qui quodam tempore quinquaginta milites cum octo præfectis bene pecunia instructis in urbem captivos detulerunt. Factâ itidem in *Kopperheida* pugnæ copia sinistrum fuit Svecis prælium. Venit post Danorum Rex *Fredericksodam* in Iutlandia, locum apprimè munitum, ut singulis prospiceret ipse. Facto militiæ censu sex millia inventa equitum, peditum verò octo millia: quæ ad *Ripas* & *Coldingam* ad sistendos collocata Svecos, ne penitiora regni peterent. Dextra interim ala ad *Kensborgam* adhuc hærebat, sinistra verò morabatur ad *Itsehoam* adventum expectans *Wrangelii.* Is cum ex Ducatu movisset Bremensi & ad *Stadam* venisset, primùm quingentos profligavit Danos, ac oppi-

Sveci sinistrè pugnant.

Wrangelii in Iutiam successus.

oppidum ab inchoata liberavit obſidione: mox *Hagium* Breemerruſdam euntem, ubi præeſſet loco, cepit captivum. Poſtea *Svingerranum* fortalitium in ſuam redegit poteſtatem, captivumque omnem præſidiarium militem *Stadam* aſſervandum miſit. Reverſus inde ad *Himmelportum* intellexit Danos, qui ad *Burghtum* locati erant, occupata dextra Albis ripâ, magno, cum navigiorum apparatu in Holſatiam tranſitum tentare. Quapropter aſſumpto ſecum equitatu circa oſtium conſedit fluminis, qui conatus inhiberet hoſtium. Data etiam *Volckmanno* cura ut quæcunque navigia comparari poſſent ad ſe tranſmittendo curaret peditatui, in quem uſum ipſe quinque acquiſivit cymbas, quæ rem promptiſſima expedierunt manu: relictis à tergo equis, curribus, ſarcinis, & quæ alia ſunt militiæ impedimenta: ac *Buchlunium* ſimul fortalitium penitus peſſundederunt; ſed ubi per imprudentiam pyrium ignis occupaſſet pulverem: præſidiarii omnes capti.

pti. Re equitatus Danicus compertâ, ac transitu sibi præoccupato, retracto inde pede ad *Geestendorpam* transit *Visurgim*, ac quinque majoribus impositus navigiis secundo Albis cum flumine, ad *Brunsbutelum*, ad Albim situm, expositus. Unde *Wrangelius*, cum ad eundem venisset fluvium, nec navigia ulla, nec ullas invenit cymbas quibus suum transmitteret comitatum. Hinc cum movisset, *Legherium* expugnavit munimentum, ac spatio novem dierum reparatis, quæ ante amissa erant omnibus, ad mille in eadem expeditione captivos abduxit Danos, qui omnes imperita erant turba, ac nullis exercita armis, pars quoque Iuttiæ pastores ac inquilini. Ita cum nihil superesset recuperandum præter *Breemervurdam*, misit eò *Aschenbergius* quosdam qui eam expugnarent, ipse autem cum alia militiæ manu superata Albi ad Svecorum perrexit exercitum. Trigesimo Augusti die deseruerunt Sveci *Cracoviam*. Numerus qui urbe exiverat sexcentorum erat equitum, pedi-

Wrangelius impeditur transire fluvium.

peditum mille quadringentorum; item quadringenti cum commeatu currus, ac duodecim majora tormenta. Magna hic Hungaris à Svecis cessit præda. In qua sexaginta fuerunt Polonorum vexilla, quæ diversis ante occasionibus Sveci eripuerant Polonis. Interim Elector Brandenburgicus videns singula Svecorum per Poloniam in deterius ire, Polonos contra ad avitam redire fortunam, rebus consulturus suis in sex cum Polono hebdomadas armistitium init, sub conditione subsequuturorum tractatuum, qui agerent de neutralitate. Occupaverat Borussiæ limites cum suo exercitu *Consievius*, qui ex his ut discederet missa ad *Isolam* Hungarorum legatum, nomine Electoris Brandenburgici decem imperialium millia dono, ac simul significatum de transacto cum Rege armistitio. Quibus legatus intellectis, copias suas misit in Lithvaniam. Ipse in Borussiam profectus circa medium Septembris *Welavia* occurrit Electori, qui quod deerat contractui supplerunt.

Armistitium in sex cum Polonis hebdomadas.

Sum-

Summa illius hæc fuit. *Solennem ac solidam Regi cum Electore futuram pacem. Pillaviæ telonia Electori mansura integra, quorum Poloniæ ante rex tertiam in suum usum conferebat partem. Bransborgum oppidum cum universo Ermenlandiæ Episcopatu, qui ad Regem olim pertinebat, æterno jure Electori mansurum. Eundem Electorem in posterum, à solita annua recognitionis pensione, quæ trigesies sexies fuit millenorum imperialium, immunem futurum. Appellationis jus ex aula* Brandenburgica *ad Regiam aulam cessaturum. Electorem destinari mediatorem inter Reges Poloniæ ac Sveciæ, ac urgente subinde necessitate, arma simul laturum in usum recuperandæ Borussiæ.* Nondum tamen adhuc Sveci deseruerant Dantiscum, ex quo facta oppidani excursione, ut pontem, qui ad principale munimentum impositus flumini erat, destruerent, jam se expectantes invenerunt, & quidem duabus Brandenburgicis auctos legionibus: quibus cum de pace inter Electorem & Regem Poloniæ persvaderi nihil posset, initum prælium,

Supplementum contractus cum Electore.

Initum cum Polonis prælium.

Primi

Primi victores Dantiscani, sed quos resumptis Sveci viribus mox sua pepulerunt acie. Utrinque cæsi multi. Nono die Septembris ex Patria Svecorum solvit classis duarum & triginta prætoriarum navium, sex aliarum, & incendiariarum quinque Duce & Architalasso *Bielke Sternio*. Hæc ad diem vigesimum secundum Danicæ obvia classi, ad Insulam *Mœnam* duce *Bielckio*, quæ viginti quatuor regis constabat navibus*, ac incendiariis duabus, circiter tertiam pomeridianam in conflictum venerunt. Inchoatam pugnam nox diremit. Jactura navium nulla, nisi quod Danici Architalassi navis cum *Elephantis* insigni, multis læsa fuerit partibus. Nec minus reputatum Svecorum damnum, ut qui navem suam cum titulo *Mariæ* adeo undiquaque perforatam deprehenderunt, ut nequaquam refici posse judicaretur. Sequentis diei pugnam turbidi inhibuêre venti. Danica inde classis insulam Sialandiam, Svecica petiit Rugiam. Datæ reparationi utrinque curæ. Erat eo tem-

Ingens Svecorum Classis.

Conflictus navalis inter Daniarum & Svecorum classes.

tempore Svecici pars exercitus ad *Kielam*, porrecta alia pars *Rhensburga Flonsborgum* usque. Rex ipse *Carolus Gustavus* apud Socerum suum hospitabatur in Holsatia. Danorum Rex hærebat *Fredriks-Oda* ac potissimus illius exercitus ad *Ripas* & *Coldingam*, ubi justis substiterat in castris vallo ac aliis munitionibus prospectis. Natæ passim vellitationes, sed quæ ludente subinde abiêre fortuna: aliquando etiam diverso pugnatum successu. Maxima hæc fuit pugna quæ ad *Wansbeckam* contigit. In hac octingenti Gluckstadienses, quadringentos profligarunt Svecos, quos *Joannes Oxenstiernius* Wismaro ducebat ad Regem; sed qui ipse evasit incolumis. Carolus interim Gustavus ad novem legendas legiones singulis quater millena adnumeravit imperialium. Quæ ut refunderetur pecunia agris omnibus hostilibus nova imperavit tributa, quæ ut persolverentur incendiorum additæ minæ. Valedicto tandem *Gottonio* cum suæ parte militiæ contulit

Carolus Gustavus in Holsatia.

Pugna ad Wansbeckam.

Nova à Svecis imperata tributa.

lit se *Haderslevam*. Ad hujus adventum motis Dani castris in *Fioniam* se transtulerunt insulam, relicto saltem prædiario aliquo potissimis in locis milite, reliquâque Iuttiæ parte patulâ hostibus relictâ, cui mox imperitarunt Sveci, imperantes tributa octoginta trium imperialium in singula aratra, & alimentum cujusque militis equo. Munitum à Svecis *Christiani priscum*, & *Holmerianum* munimentum frustra tentatum. Venit inde Svecorum Rex *Fredricks-Odam*, cui sex millium Danorum fuit præsidium. Quo res urgeretur arctius, munitionibus se tutati Sveci tres tormentarios erexerunt aggeres: ex quibus tormentorum in urbem factus impetus; sed cum Danis recentes ex Fionia in dies subministrarentur suppetiæ, quas non facile impedire poterant Sveci, amissa non exigua in urbis oppugnatione manu, in pauculum tempus ab instituto destiterunt opere, ac sedibus suis aliquantum remotius positis, hanc solam sibi reliquerunt curam, ne factis subinde ex-

Dani relicta continente se conferunt in Fioniam.

Sveci ad Fredriks-Odam.

excurſionibus pluſculum ſibi noceretur. Sed ne hoſtium circumcirca ſine damno eſſent agri in ſingula aratra octo aut decem, pro conditione hominum, impoſitum tributum, adeo ut ex his reditibus per ſolam Holſatiam centum imperialium venerint nullia: indicta adhæc ſingulis per menſes aratris quinque imperiales, qui ad cenſum quinquaginta conferebant imperialium millia: quin & adeo totam exhauriebant regionem ut Danorum Regi nulla ex reditibus ſpes reliqua eſſet. Die decimo ſexto Septembris miſſæ à Svecorum Rege ad Præpotentes Ordines litteræ, per quas *non exigua in Legatum Appelboomium deſcripta querela: animumque Regis non alio tendere, quam ut amicitiarum conſervarentur teſſeræ.* Scriptis ipſius Regis aderat manus. Paulo poſt tempore Rex Svecorum, motis *Fredicks-Odâ* ſedibus, cum bis mille equitibus deſcendit in Pomeraniam: Reliquæ manui impoſuit *Wrangelium.* Sequuta fama inſtare Polonos. Rex feſtinanter, quacunque data occaſione no-

In Holſatia tributum centum & quinquaginta millium imperialium.

Svecorum in Apelbomium querela

Svecus movet in Pomeraniam.

novum parabat militem, quem novo hic supponeret hosti. Hinc decimo nono Mensis die cum pervenisset *Kilam*, exinde mille ex suis remisit equites. Vigesimo tertio appulit *Wismariam*. Mutatus per hæc tempora Danorum Regis animus multos ex militiæ mutavit præfectis, in quorum postea locos alios submisit recentiores. Coacti & cives qui novum sibi præstarent juramentum. *Eggericum* Breemervurdæ præfectum ad majorem dignitatis extulit gradum, & ad finem mensis, submissis mille viris, sex majorum tormentorum numero auxit, atque duorum mortariorum, qui facta Svecis molestia commodius distraheret Svecos, ne in unam jungerentur manum. Inde ex Fionia profectus per Sialandiam, ultimo appulit in Scaniam, ut res omnes ritè se in Svecos haberent: acceperatque secum in id non exiguam equitatus manum, qua suos augeret. Non tamen Svecorum ad Breemervurdam liquescebat animus, qui junctá jam ponte utrâque fluminis ripâ

Danorum Rex militiæ suæ præfectos mutat.

Danorum Regis abitus in Scaniam.

på utrinque loci obsidionem aggredi poterant, impedireque quo minus *Eggerico* duce factis excursionibus latè prædarentur. Fuit hic tamen obsessorum animus, ut tentato fortunæ casu centum ex instantibus profligarent Svecis. Adnitentes deinde Svecos perfodere *Mœram* inter *Mulsum* & *Staderum*, loco etiam depulit suo, captis quibusdam ex subjectis incolis, quos suo postea remisit pretio. Capta & alia præda eorum quæ in usum ferebantur Svecorum. Missus mox ex Dania ad Præpotentes Ordines Hagam Legatus, qui scriptam exponeret legationem. Contentum erat. *Ut ocyssimè nova submitterentur subsidia: pecunia subministraretur in pignus Iutlandiæ: Elbingenses de pace tractatus in belli differrentur exitum. Ad hæc* Regis *sui nomine Præpotentibus Ordinibus gratias agi, quod pacis inter utrumque Regem promoveri velint studia; sed ne interim negligerentur rogata.* Quibus intellectis *Appelboomius*, Regis Svecorum Legatus, omnibus intendit viribus, ne quid præstare-

Missus à Danis ad Præpotentes Ordines Legatus.

Svecorum Legatus

Contranititur Legationi Danorum. staretur eorum. Hæc omnia sequutum non exiguum Svecis infortunium. Siquidem *Isnerus Crabbe* Norvegiæ præpositus, irruentes *Gottenburgho* Svecos, ac penitiora jam Norvegiæ tentantes, magna profligavit strage, Cæsorum *Svecorum in Norvegia clades.* septingenti & quinquaginta numerati: capti multi, vexilla item adempta octo: reliquus omnis factus prædæ commeatus: fugientes reliquos ultra suorum persequutus terminos. Rex Daniarum audito Hafniæ Legato ex Anglia à Protectore ad se transmisso, inde profectus est in Scaniam, ut dissipatam in hac regione suam in unum colligeret manum, maxime ubi Lantskronianæ arcis præfectus & *Knoetius Ulenfeltius*, pauca quamvis manu, suam fecissent irruptionem, quorum perierat alter, redeuntibus suis victoribus. Danorum Rex *Fredericus* undecimo Octobris ubi ad suos venisset, sequenti statim die ex Hallandia movit hosti suo occursurus, in quem etiam mox incidit. Congressus *Danorum victoria.* manu hostem vicit, amisso ex suis

Comi-

Comite *de Stirum*. In præda fuerunt quatuor vexilla, duo majora tormenta, centum ac decem militiæ præfecti, octingenti captivi. dux *Duglassius*, ut & *Axellitius* atque *Banierus* occubuerunt. Victum tamen hostem Rex non sequutus est, ob montium angustias, per quas iter faciendum erat. *Carolus Gustavus* in suis se continebat castris ad *Fredriks Odam*, undiquaque exigens tributa. Impedita quoque subsidia quæ ex Fionia in Urbem deferri solebant. Evecta tria granaria in usum hyemis *Kriele*, *Flensburgi* & *Haderslevæ*: ac mandatum simul ut terna quæque aratra unum conferrent bovem. Ad finem Septembris Sveci duce *Bodeckero* Insulam per vim occuparunt *Wensußelam*, ubi ducenti ex agricolis capti, aliquot militiæ præfecti, ex equitibus nonaginta, quos statim in suas redegerunt legiones, sex tormenta majora, ac magnus in prædam commeatus. Nec Danorum in Bremensi Ducatu otiosa manus. Missi *Gluckstadio* nongenti, qui *Breemervurde* rebus prospexerunt

Qui Duces Svecorum occubuerint.

Wensußela occupata.

Danorum in Duc.

Bremensium progressus. runt necessariis. Svecorum ducem *Weymarium* eam oppugnantem loco depulerunt suo: expugnatum fortalitium vulgo *Eeesvbeterschantz* atque incolis late imperarunt tributa; occurentes passim profligarunt Svecos, ac multâ factâ prædâ, nemine prohibente, tuto redibant *Gluckstadium.* Ad initia mensis Novembris venerat Francofortum ad Oderam miles Polonus, *Poloni veniunt in Pomeraniam.* Cracoviensi victoria ferox. Magnus inde multis sequutus metus, ac fuga inaudita. Quam diu per Brandenburgicas iter faciebant ditiones, tranquillas ab omnibus continebant manus, illa tantum postulantes quæ ad victum facerent. At injecto in Svecicas ditionespede, nulli cuiquam parcitum *Polonorum sævitia.* rei. Injectæ domibus flammæ, rapta omnia, vastata atque acie gladii perempta, in vindictam patratarum per Poloniam cædium. Ventum inde *Ancklamum* *Svecus novum parat militem.* usque, haud procul *Stetino.* Svecorum Rex his auditis, illico ad *Wismariam* novum parari jussit exercitum. In quem usum partem militiæ

litiæ ex ſua claſſe in continentem exponere juſſit: partem inde ex oppidis, quibus impoſitus erat, ad ſe vocavit, ac his demum bis mille junxit equites recens ex Holſatia adventantes: quibus præpoſito *Sultzbachio* in mandatis dedit, ut quam ocyſſime hoſtem quærerent Polonum, in prælium deſcenderent, & ſi ubi lateret, ex eodem in apertum propellerent locum. Verum Poloni, quibus non ſatis proſpectum erat à majoribus tormentis, non expectato Svecorum adventu, retracto pede ſuperataque *Odera* in ſua ſe contulerunt propugnacula. Ad *Fredriks-Odam* in dies multæ exercitæ vellitationes, quæ fortiſſimorum virorum penſabantur clade. *Wrangelius* miſſis de nocte ſpeculatoribus, qui urbis explorarent munimenta, habitisq; præfectorum conſiliis, duce *Herſenio* vi urbem aggreſſus, tres validos inſtituit impetus, locumque expugnavit, ſeptem propugnaculis munitum, quibus quinque millium præfuit miles. Regni Marſchallus *Billius*, ubi fortiſſime de-

Poloni adventantem non expectant Svecum.

Fredriks-Oda expugnata.

depugnasset diu, vulneratus cum *Monskokio* ac præcipuis aliis militiæ præfectis, in parvum aliquod retrocesserunt fortalitium, arbitrantes, superatis aquis, in Fioniam se recipere; sed per ventorum ac pluviarum injurias impediti, in manus venerunt Svecorum, cum bis mille aliis, inter quos centum & octoginta præfecti & triginta tria vexilla, quæ omnia *VVismariam* ad Regem transmissa. Præda hic victoribus ingens. Ex captivis qui in itinere fugerant, deprehensi iterum occidebantur. Regni Mareschallus *Billius* paulo post ex accepto obiit vulnere. Auctus inde Svecorum animus, ut qui dimidiæ jam imperabat Daniæ, reliquam facile devicturus vel per frigoris auspicia, vel per alia quæcunque navigia. Hafniæ immanis omnes invasit stupor ac metus. Singuli execrabantur *Billium*, ac cuncti Regiis maledicebant Consiliariis, ut *qui belli authores essent, Regemque sceleratis suis seduxerint consiliis*; aliaque multa in eos conjecta, quæ parietibus affixa publice legeban-

Billius moritur.

Dani indignantur Regiis Consiliariis.

gebantur. Rex inde *Fredericus* se statim contulit in Fioniam: ibique trium millium militi præfecit juniorem *Guldenleevium*. Hærebat tunc Rex Svecorum *VVismariæ* ubi eadem hora matutina duo simul allata fuerunt ei nuntia, quorum alterum expugnatam ferebat *Frediks-Odam*, alterum mortem *Wittenbergii*, qui obierat *Czenstochoviæ*. Afficiebat Regem alterum gaudio, alterum non exiguo mærore. Mense Decembri Galliarum Legatus, ut & Præpotentum Ordinum acriter apud Regem instabant, ut ad pacis studia animum inclinaret suum cum Rege Poloniæ. At *Carolus* novum legebat militem, exercitusque suos tanto auxit numero, ut nequidquam illi decessisse diceres quem primum induxerat in Pomeraniam. Mox Danorum cum ad *Wismariam* non amplius appareret classis, ea quæ Svecorum fuit abiit Holmiam, ductis secum octingentis qui Regis jungerentur per Scaniam militiæ. Inde Svecorum Rex mentem suam Legatis præpotentum

Wittembergii mors.

Rex Carolus mentem suam aperit Legatis Præp. Ordinum.

Ordinum aperuit, quæ hæc fuit: *se non passurum ut formandæ intersint paci; priusquam à Præpotentibus Omnibus Elbingensia approbentur acta.* Quæ ad *Fredriks-Odam* erant munimenta omnia solo æquata. Rex contra Daniæ illam littorum *Fioniæ* partem, quæ *Fredriks Odam* spectabat, multis firmavit propugnaculis, ex quibus adventantem arceret hostem. Jussus etiam ex Scania venire miles qui eò mitteretur. Qui in Bremensi Ducatu erant Sveci, superata Albi venerunt in Holsatiam, ibique *Pinnenbergam* arcem omni communierunt cum studio. Coacti ut operæ manus admoverent rustici. Finito labore incolis omnibus grave imposuerunt tributum. Sed cum ad *Heyligh-stederam* pontem transire studerent, tanta Danorum repressi sunt virtute, ut magnam amiserint partem duce *Alefeldio.* Hanc Sveci injuriam ulturi, redintegratis post animis invaserunt *Marschlandiam*, ac in vindictæ cupiditatem decem vel duodecim pagos in cineres redegerunt. Sveci itidem

Danorum ad Heylighstederam victoria.

dem insulam occuparunt *Alsen*, quæ juris erat Ducis *Sunderburgici*. Huic arci ducentos imposuerunt milites, junctis aliis mille equitibus, qui suis in vicina disponerentur sedibus. Erat tunc Elector Brandenburgicus *Berlini*, apud quem à Svecis submissus Comes *Slippenbachius* instantissime urgebat, constanti Svecis adhæreret animo, futurum siquidem aliàs, ubi in alias inclinaverit partes, ut Svecorum Rex postulaturus sit damni reparationem in Pomerania per Polonos nuper facti, ut qui transitum permiserit Polonis. Aderant ibidem simul alii quoque legati, ut Polonicus, Austriacus, Danicus & Gallicus, continuo de pace cum Polono agitantes; sed & qui mentionem subinde injiceret belli contra communem Germanici soli hostem Svecum. Fuit & Elector ipse *Lichtenbergi* apud Electorem Saxonicum cum quo de communi ditionum suarum defensione egit. Appulerant hoc tempore ex Anglia à Protectore mille submissi Angli in usum Svecorum

Elector ad arma solicitat Ducem Saxoniæ.

corum. *Hamburgenses* & *Lubecenses* sinistri quid suspicantes conducto milite suis prospiciebant civitatibus. Jussi cives excubias agere, & data defensioni munimenta. Hamburgenses Generali militiæ suæ valedixerunt Præfecto *Schaeckio*, qui ad Danorum se contulit Regem, inque ejus locum elegerunt *Copejum*. Svecorum maxima per hoc tempus cura fuit in proximas trajicere insulas. Sparsi per totam Holsatiam rumores Svecos instituisse, *Crempam*, *Rensburgum* & *Gluckstadium* continuis fatigare obsidionibus; sed quo toto tempore illa præparabantur omnia quæ ducendo per glaciem inservirent militi. Nec ex Danorum defuerunt Legatis, qui conciliatam inter Reges pacem vellent, in quem finem Danici Regni Senator *Morghenschoogius*, qui ad *Fredricks-Odam* inter captivos fuit, jam Hafniam profectus erat. Anglicus Legatus *Iepson* Regi quoque Svecorum insinuavit, quæ à Danorum Rege responsa essent ad ea quæ nuper ex ore Regis Svecorum

Sveci parant transire glaciem.

corum

corum dicta erant: scilicet *Regiam Danorum Majestatem non passuram ut de pace in quocunque Germaniæ agatur loco. Si is deligatur qui sit inter utriusque partis exercitum, se ab hoc non alienum fore. Vel si Regia Svecorum Majestas malit id per delegatos suos fieri in Borussia, Danorum quoque Regem se suos eò missurum, qui in mandatis singuli habeant pertractanda cum Rege Polonorum.* Fuerunt hæc eadem concredita Danici Regni Senatori *Morgensthogio*, quamvis ex Danis essent nonnulli qui toti huic diffidebant negotio, maximè cum *VVrangelius* defuncti Regni Marschalli *Andreæ Billii* corpus pretiosa indutum veste per aliquot custodivisset noctes, ac post idem transmisisset in Fioniam, additis quibusdam, qui per humanitatis speciem cuncta per insulam specularentur. Eodem hoc tempore Præfectus *Bielke* in Norvegia expugnavit fortalitium *Frodsoe*, per quod ei toti licuit imperare *Iempterlandiæ* & *Herdersdaliæ*, quæque patulam ei fecerunt viam ad visendas Svecorum cuprifodinas.

Anglorum Legatus quid insinuet Svecorum Regi.

Missi in Fioniam speculatores.

Sveci omni interim ſtudio tentabant *Fioniam*, ut in ea illam extinguerent manum, quæ *Fredriks-Odâ* eò confugerat. Perfecerantque jam ut nonnulli Danorum ex Fionia ad ſe venirent in Iuttiam. Alii facto per glaciem itinere omnes in Inſulam aditus ſpeculabantur. Magna hic Danorum fuit oſcitantia, ac ſi undarum interſtitia hoſtibus eſſent impervia. Inter fortiſſimos Svecorum tunc fuit *VVrangelius*, qui à Svecorum impetravit Rege, ut ad *Kielam* per duas ſubſiſteret hebdomadas, ac in Fioniam ſibi tranſire liceret. Non alia Svecorum Regi umquam major ſuorum contigit admiratio, quam cum militiæ cerneret præfectos magno cum ſtudio omnem adornare apparatum, qui ad tranſmittendam glaciem uſui eſſe poſſent. Multæ paratæ ſcalæ, pontes, utres, ferrei ſtapedes & cupæ ac tonnæ. Acceptis à Rege mandatis *VVrangelius* feſtinantiſſimo itinere pervenit *Fredriks-Odam*: ibidem, quamvis decretum fuerit quibuſcunque rationibus vi aggredi

di *Fioniam* tamen aliquantulum substitit, ut exploraret an non per intensum aliquando frigus, aquæ concrescerent durius. Sunt qui *VVrangelium* à Rege Sleesvico discedentem pollicitum volunt, se Serenissimum Regem ad Divi Caroli diem Ottoniæ in Fionia inter epula conspecturum. Interim collecta omnium suorum, quæ per Juttiam fuit, manu, firmitatem & robur glaciei passim per suos tentari jussit, collocatisque inter *Haderslebam* & *Coldingam* in littore milibus, suam sibi ad *Heysenam* elegit sedem. Inde Præfectum *Baberum* cum centum equitibus, & peditibus totidem misit in Insulam *Bromsde*, qui eadem juxta nocte Scribam suum cum quinque militibus in Fioniam ablegavit ad eam speculandam; sed qui haud procul à Fionia rupta glacie amissis equis vix ex aquis emerserunt. Rex recentia cum suis initurus consilia in pagum venit *Anseletam*, ac continuato *Bromsdam* versus itinere obvium habuit *VVrangelium*, tendentem ad locum qui *Isernæs* dicitur:

Wrangelii factæ Regi pollicitationes.

tur: tentatum cujus glacies esset firmitatis. Sed comperto non solem tantum multum glaciei detraxisse roboris, sed & Danos ipsos circumcirca rumpere glaciem, quo hostium arceretur transitus, adhæc multis se peti tormentis, re rediit infectâ. His Rex intellectis transitui alium invenit locum, Qui ante glaciem tentatum missi erant rèduces jam glaciem institutis ubique commodam asseruerunt, nisi quod uno tantum in loco ad sex aut septem hisceret pedes. Hinc Rex jussit asportari asseres aliumque in id apparatum, quo pons fieret. Die decimo Februarii Svecorum Rex movit ex Insula *Bromsæ*. Præfectus *Bormas* cum trecentis præmissus ac quinquaginta. Sequutus eum *Bowerus* cum mille equitibus. Hi per stratos in aquarum hiatus pontes ad ipsam venerunt insulam, in qua Supremum Danicæ militiæ Ducem *Zeestadium* in littore cum suis jam stantem deprehenderunt. Commissa pugna Zeestadius cum multis præfectis captus. Quæ reliqua per glacies Svecorum sequebatur manus

Sveci veniunt in Fioniam.

non

non ſine diſpendio fuit. Duæ Legiones *VValdekii* & *Coninksmarckii* in aquas inciderunt. Ex *VValdeckii* legione duæ perierunt cohortes, ex alia itidem multi equites. Hæc dum ſingula ita fiunt Rex alium ſubmiſit militem, qui in ſuperſtitem Danorum peditem tanto ruit impetu, ut Danus ſtatim miles, abjectis in terram armis vitam deprecari cæperit. Qui fuga ſibi conſulere volebant, aut capti ſunt omnes, aut cæſi. Miſſus inde in *Langelandiam* & *Swinenburgum* *Fabianus Berentzius* cum aliquot Legionibus, qui *Jenſium* cum quingentis adventantem militibus, inde depelleret. *Aſcenbergius* ablegatus erat in *Middelfar*, ut *Stenium Billium* inde fugaret; ſed qui jam *Ottoniam* ſe contulerat quem ſtatim Rex ſequutus. haud procul ab urbe in ſuo fugientem plauſtro militiæ Danicæ præfectum cæpit *Guldenleevium*, & urbem ingreſſus quinque alios Regni Senatores. *Wrangelius* inde abiit *Neoburgum*, ubi quatuor Danicæ erant naves; ſed quas fruſtra tentavit. His ita feliciter pe-

Dani fugantur.

Guldenleevius captus.

Regis ad Sultzbachium litera. peractis Rex ad *Sultzbachium* has misit litteras Wismariam: *Non potuimus tibi non significare quam prospere Deus T. O. Max. nostra habuerit arma. & ut ad trigesimum diem mensis Januarii Fionium ingressi, dissipatis hostium catervis, omnia in nostram potestatem redegerimus.* Universa Svecorum manus erat decies octies millium. In maxima hic rerum omnium præda sexaginta majora fuerunt tormenta. Sic triumphante in meditullio Regni Carolo multis subiit cogitatio, eundem belli hujus, quo se aggressus erat Danus cum Polonis occupatum, haud finem facturum, sed acceptas ulturum injurias, atque susceptа injustè vindicaturum arma. Sequutæ *Lalandia*, *Langelandia* & *Falstera* insulæ, quæ se Svecis ultro dediderunt. Cogitabat Rex inde *Sialandiam*. Unde transmissus in Lalandiam exercitus, & firmâ ad id satis glacie, exercitum suum exinde in dictam transmisit insulam. Octo millia fuerunt eorum qui fortissimi omnes animi hunc sustinuerunt ausum. Mensis erat Februa-

bruarius. Primus appulsui locus erat *Waerburgum*, unde recta Hafniam versus perrectum, quæ non exiguam sibi pollicebatur spem; sed quæ Principem fefellisset virum, ni meticulosa passim nobilitas incolas omnes suis præoccupasset præjudiciis, præstare in quascunque descendere conditiones quam universum male perdere regnum. Facta unde omnium in metropolim fuga. Quæ si non supervenisset, ingens satis in id futura fuisset manus, quæ adventantes recens ejiceret Svecos, ut qui majoribus penitus destituebantur tormentis. Missus *Hafniam* Tubicen cuncta composuit hostilia. Dati & ex urbe qui ad *Coger-kroegam* die vigesimo septimo Februarii, interveniente, ut circumferunt Sveci, *Meodavo* Anglorum Legato, in has descenderunt pacis conditiones. *Pacem inter utrumque Regem æternam futuram, depositis etiam omnibus simultatibus. Neuter cum alterius detrimento pacem cum quoquam faceret, vel altero inscio. Utriusque Regis communem futuram curam ne*

Sialandi fugiunt Hafniam.

Conditiones initæ cum Sveco pacis.

qua

quæ extraneorum naves per Sunticum fretum aut alias maris angustias in Balthicas venire sustinerent aquas. Bremsebroschienses tractatus in suo vigore mansuros, nisi quibus per præsentes conditionibus aliquid derogatum esset. Si qui Reges aut Principes his includi velint pactis, consensu duorum horum Regum admissum iri. Naves Regis Sueciæ aut quorumcumque illius subditorum sine telonio liberum per fretum Sunticum transitum habituras, tantum exhibitis Regis sui ad id litteris: quæ alienigenarum merces habuerint jure extraneorum cum illis actum iri. Regem Sueciæ, pro restitutione occupatorum locorum, æterno jure possessurum Hallandiam, Bleckingiam & Scaniam, Insulam item Bornholmianam & arcem Bahuysianam cum omnibus territoriis, ac quæcunque ad illum vasallatûs jure pertinent, quemadmodum à Daniarum Rege hactenus possessa fuerunt. Insuper Daniæ Regem æterno Svecorum Regi oppidum cedere Dronthеymianum in Norvegia cum omni legitimo jure. Regem contra Svecorum agros omnes & munitiones quascunq; in Dania Norvegia, Slesvico, Holsatia, aut Pennen-

bergen-

bergensi occupavit Comitatu, Danico restituturum regna cum omnibus prætensionibus, quas ratione Bremensis *Ducatus in Comitatum habeat Delmerhorstiensem, atq; Ditmarsiam. Captivos omnes cujuscumque conditionis utrinque suis sine lytro restitutum iri. Regem Sveciæ universum suum militem, quantum fieri possit ocissime, & ad summum ad diem duodecimum mensis Maji, ex Dania deducturum: interim de rebus omnibus eidem prospectum iri, ac simul omnia ex singulorum votis pacata futura. Cujuscunque conditionis homines, nobiles, ignobiles aut sacri ordinis bonis suis hereditario, aut quocunque alio jure, possessis plenissime gavisuros: privilegiaque ipsorum à Svecorum* Rege *per Daniam & Norvegiam auctum potius, quam diminutum iri.* Regem *Daniarum loca omnia per se suosque occupata Svecorum* Regi *restituturum: tresq; illas naves per Danos à Svecis in Sontico freto ereptas æstimatum ac pretium restitutum iri. Daniarum Regem prætensionibus omnibus quas in Insulam habeat Rugiam, renunciaturum. Cum Holsatiæ Duce, si quid hactenus intercesserit amice omnia compositum iri.*

Mani-

Munitiones omnes ad ſuos redituras dominos, Danorumque ſubditos majora Svecorum tormenta eò loci delaturos, quem ipſe Svecorum Rex dixerit. Comitem Ulenfeldium in ſuas ditiones rediturum: omneſque impenſas, ab eo tempore quo ad hanc cauſam Delegati rem in ſe ſuſceperunt, redditum iri: ejuſque Uxori atque Socrui, ſi voluerint, ubicunque locorum in Dania habitare liberum fore. Feuda quæcunque haberet ipſe, vel filius illius, ut Horsbolmam, Monshellingam & Monaſterium D. Joannis cum omnibus Juribus retenturum: uxoremque ipſius in omnes honoris titulos redituram. Quod ante diploma in Regem editum erat Sveciæ, ne vel vendatur, vel legatur à quaquam, prohibitum iri. Ultimò, Danorum Regem bis mille ex ſuis equites in caſtra Svecorum conceſſurum. His tranſactis juſſus utrinque miles ab hoſtilibus deſiſtere. Extorta hæc omnia videbantur pacta, & magno honoris Danorum cum diſpendio. Unde à Confæderatis minus credita, cum pro certis haberetur Anglorum Legatum *Meadovium* has interpoſuiſſe pacis con-

ditio-

ditiones. Mox cum tranſactæ iſtæ conditiones ipſum ſequutæ viderentur præſcriptum potius, quam legitima pactionum jura, Svecique ipſi factum exprobrarent Danis, eò res pervenit, ut publica tubicinis voce proclamatum ſit: *ne quid quiſquam ſuſtineret poſtea in præjudicium loqui Danorum, quæ dictas pacis tangerent conditiones.* Per hæc tempora Polonorum Rex Warſaviæ habendis occupabatur comitiis, in quibus plurima Senatus pars Danicis indignabatur pactis; pleraque tamen ſecularis ordinis pars ad pacem inclinabat, cui refragabatur Clerus. Potior ſuffragiorum obtinuit pars: *ne ullæ pacis conditiones cum Svecis admitterentur ſine eorum conſiliis, quos proxime commercia tangerent Balthici maris.* Ratum ſiquidem fuit omnibus, ſine ſubſidio vicinorum tutas eſſe non poſſe reſpublicas: & quemadmodum Luna plus in terras & maria exercet virtutis, quam alia quæcunque ſydera, non quod major ſit reliquis, ſed quod vicinitate ſua iis ſit proximior; ita regna quæcunque

Sveci extortam Danis exprobrant pacem.

Comitia Warſaviæ.

que & principatus defendi latius ab illis qui proxima sua habent conterminia, quam qui remotiores majoribus sufficiunt armis atque suppetiis. Regum tamen pacis factum infectum mansit; sed tutiora instituta cum Cosacis pacta. Die decimo tertio Martii uterque Rex Danorum & Svecorum in quatuor ferè horas mutuis se detinebant colloquiis *Rootschila*, tribus circiter à *Fredricks-burgo* leucis, Regum quisque quatuor secum habuit equitum turmas & equos viginti quatuor armatos, cum ingenti multorum militiæ præfectorum atque nobilitatis comitatu. Danorum Rex primus ad locum venerat, Regemque Svecorum in patulo expectabat campo. Ubi ad lapidis circiter jactum ventum esset, Regum uterque ex suo descendit plaustro, peditesque mutuo sibi obviam euntes porrectis juxta manibus se salutarunt. Inde Svecorum Rex Daniæ Regis, qui dextram tenebat, plaustrum ingressus cum *Gabriele Oxenstiernio*, Duce *Sunderburgico*, & Duce *Erne-*

Regum Daniæ ac Sveciæ colloquium.

sto

ſto Gunthero. Reges in plauſtro adverſis ſedebant partibus, reliqui ad plauſtri portas. Ubi veniſſent in arcem, in apparatiſſimum conclave ingreſſum: ſummiſque humanitatum officiis mutuo obviam itum. Sexies ex novem majoribus tormentis data hilaritatis judicia, totidemque ex ſolutis militum ſclopetis. Poſt habitas epulas & multa collata in Danos munera Rex diſceſſit Svecorum die decimo quinto hora circiter undecima *Elſeneuram.* Superatoque freto Sontico tranſmigravit in Scaniam. Hinc munitiora recepit loca, ut *Lantskronium, Helſignoram, Malmuydam, Helmſtadium* & incomparabile illud *Bahuyſianum munimentum,* quæque facienda erant ſolicitè imperavit. Adventantem Regem, quamvis multi inviti ſplendide tamen omnes novum ſuum excepêre Dominum. Magnæ omnibus & ſingulis promiſſæ Regis gratiæ, quò priſtini ſui obliviſcerentur Domini & cordicitus novo adhærerent Regi. Dani plerumque ſimplices & creduli, facta ſibi facile admiſere

Danorum Rex excipit Regem Svecorum.

ſere promiſſa ; ſed quæ per aſtutiores mox Svecos, & ad ſimulationes facile factos in apertum abierant bellum. Svecorum interim Rex Holmiâ vocata ad ſe Regina quæ *Gottenburgum* veniret, eodem ipſe profectus eſt, tum ut recentia cum Ordinibus iniret conſilia, tum ſuper obtentas ab hoſtibus victorias cum ſuis ſe reficeret amicis. Qui Svecici exercitus erant milites Danicis relicti ſumptibus. Inſulæ quæ à centum fere annis nullum expertæ fuerant bellum, per hoc tempus quæ expectandæ eſſent ab alienigenis calamitates ab inſolentioribus didicêre Svecis. Quidquid in iis erat argenti, omne à Svecis ereptum, & tanta quidem copia, ut milites illud Lubecæ ad unciæ pondus pro decem vendiderint aſſibus, ac pulcherrimam quamque virginem ad duodecim tantum permutaverint. In Jutiam & Holſatiam militum quiſque magnam argenti deferebat copiam. Sed Polonorum, qui Svecis paſſim militabant, tanta fuit in Dania barbaries, ut

Inſulanorum miſera conditio.

ut quicunque alicubi ſolus deprehenderetur à ruſticis, ſine ullius miſericordiæ indicio, interficeretur. In ſumma Sveci vindicantis hic Dei manus videbantur inſtrumenta, & Dania, non ſecus atque olim Germania, in quam indignantem ſuam Altiſſimus effudit iram. Quas tamen injurias omnes facilius toleraſſent Dani, quam conceſſas pacis conditiones ferre potuerant. Rex Danorum *Fredericus* Hafniam reverſus varia de facta pace inaudivit judicia. Fuerunt qui ſentirent illius occaſione Svecorum Regem, expugnatis præcipuis ad littora locis, totius Balthici maris imperium occupaturum. Alii arbitrabantur Svecorum Regem hanc jam nactum occaſionem Danicum prius regnum invaſurum, cætera vel ultro ſequutura. Alii, quod & Svecorum Legatus *Appelbomius* confeſſus eſt *Hagæ Comitum*, Svecum Balthici maris imperium nunquam tentaturum. Sic quiſque ad ſuum judicabat nutum. Sveci per Daniam Diſpoſiti præſentibus Danorum non contenti Injuriis, modo

Dani cum factæ pacis conditionibus non contenti.

do

do illas aperte regno minabantur calamitates. Neminem magis læsisse Svecos quam Hungarorum Regem atque Brandenburgicum Electorem pleno jam effutiebant ore. Narrabatur & Regiomonti lapidem, cui Electoris insculpta essent insignia, loco suo decidisse, sed cujus insignia manserint illæsa: & non illepidum aliquem morionem in aulæ Electoris palatio ad parietem hæc latina scripsisse verba: *Va, Va o homines infelices, qualis gens truculenta non solum in Prussiam; verum etiam in regnum Polonorum ingrues.* Ex præfectis etiam fuerunt; eorumque famulitio, qui ab acerbioribus non abstinebant verbis, quibus amicorum ac Confæderatorum lacesserent nomina atque existimationem, maximè autem *Dantiscanorum* quibus miscebantur *Austriaci*, *Poloni* & *Brandenburgici*. Polonos indignos esse quorum vel meminerint: Austriacos tranquillas domi habiturum manus. Ad *Dantiscum* autem suas se exercituros vires, quas terrâ marique sentiant: nec deesse

Miranda Svecorum insolentia.

deesse fiduciam quin trimestre spatium dominos se ostensurum sit loci: ac tandem visuros quid ausuri inde sint Poloni. In summa nequidquam fuit quod satisfaceret Svecis, etiam tum cum Holsatiæ Duci *Feudi Jure, quod in Slesvicensem habuit Ducatum, suo & posteritatis suæ nomine cedere vellet, cum dimidia Svavestedensis territorii parte.* Hæc & similia cum Daniarum Rex offerret perbenignè, nullo tamen modo contentos Svecorum reddere potuit animos. Svecorum Rex ipse ægre tulit quod ex tribus Danorum legionibus, quas in suum acceperat usum, multi se subtraxerint, ita ut sub singulis vix numerari potuerint quadringenti. Multa alia in pacis conditionibus intacta querebantur, ut præeminentias & prærogativas nobilitatis earum regionum, quarum traditionem exprobrabant Danis. Quorum si omnia & singula tranquillos non potuerunt reddere Svecos, quam justam quis neget Danorum Regem habuisse causam, ut male pacatum ipse cir-

cumferret animum, qui tantis læsus fuit damnis, ac tot præjudiciis offensus? quin & qui non dignam se satis laudem, non apud tantum Confæderatos suos, sed & apud quoscunque Principes sibi peperit: maxime cum Præpotentes Confæderati Belgii Ordines, multas justas ob causas, rem universam non minus se spectare, aliasque regiones, quæ communem secum habent conditionem, asserent: cum inita hujusmodi pacta sua per Balthicum mare intervertere possent commercia, & suæ reipublicæ ut & aliis multum periculosa, atque ipsi demum cedere exitio, quod pactorum ipsa innuunt verba: *Utriusque Regis communem futuram curam ne quæ extraneorum per Sonticum fretum, aut alias maris angustias in Balthicas venire sustinerent aquas.* Unde laudatissima sane cura fuit Domini à *Beuningen* Ordinum ad Danos Legati, qui insertis Regi litteris precatus fuit, ne de navibus hæc intelligantur Confæderatæ Belgarum reipublicæ, ne initi olim pacis cum Dania

Confæderati Ordines male facta indignantur paci.

Dania corruant contractus, ut quibus penitissimè repugnent. Interim Mense Aprili duo *Hafniam* Sveci venerunt Legati *Steno Bielke* & *Cojetus*, omni opera conantes Daniæ persuadere Regno, ut communia & offensæ & defensionis in quosque arma susciperet. Verum Dani procliviores in illam erant partem, ut in tutricia tantum arma descenderent septentrionalium Regnorum, ut quibus nihil negotii est cum illis qui ad meridiem assident mari Balthico, Unde factum quod in neutrum consensum sit. Venit inde & alius ex Svecia nuncius *Elsenoram*, qui ageret de jure ignium, qui singuli ad phari instar de nocte incendi solent, quo per tenebras navibus vada aliosque tutius evitare liceat scopulos: voluitque tertiam sibi esse juris partem, & ad id juxta qui in tributorum solutione suo adesset nomine. Hæc dum fiunt, Svecorum Rex communi Ordinum consensu multa per *Scaniam* immutare cæpit, ipsumque inde Svecicum in Pomeraniam jubet abire militem, additque idem pro-

Svecorum ad Danos Legati.

Svecus in Pomerani.

am suum transfert militem. proximè ad certum diem alium ex Dania facturum, cum res jam in Dantiscanos agatur seriò. His auditis Elector Brandenburgicus, ut qui satis jam suspectos habebat Svecos, maturè monet Dantiscanos, aliosque suos præsidiarios, quibus sui commissi portus erant, *Memelæ*, *Colbergæ* & *Pillavæ*, quibus erat minatum. Magna tum Dantiscanis satis ab aquis erant damna. Poloni ad *Dirschaviam*, haud procul à ripa Vistulæ subrutum ante erexerunt munimentum, rati hoc modo non tantum ab ingressu arceri posse Svecos; sed etiam impediri quo minus conjungi possent cum illis qui remanserant in Borussia. At Sveci re intellecta, ex proxime vicinis assurgentes locis, facto in Polonos impetu, spatio quatuordecim dierum, erectum sibi tradere munimentum coëgerunt. Nec potuit Polonus quocunque modo cum Svecis de pace agere ob tam immania gentis postulata; indoluit tamen apud Daniæ Legatum ad Regis sui infortunia. Et prolixius inde

Poloniæ Rex ad Daniæ calamitates indoluit.

inde cum eodem agens, dixit Poloniæ Rex: *se conscientiæ suæ moneri testimonio damna Danorum Regi ab hostibus facta à se quocunque modo resarciri oportere.* Mense Majo Imperii Germanici Ordines ubi inaudivissent, Svecorum Regem jam ad nutum suum Daniarum Regem habentem, iterum Germanicum tentare solum, aut saltem expeditionibus suis atque itineribus illius fatigare ditiones, unanimi consensu ad Svecorum Regem scribunt: *ne quid recentis nascatur incommodi ex nimia exercitus sui vicinitate, ac cum his se excusatos esse velle.* Scriptum ab iisdem & ad Electorem Brandenburgicum, *ut avitam in Imperium Germanicum testaretur fidem.* Serenissimus Elector Brandenburgicus multis hactenus admolitus fuerat operis, ut pax componeretur Polono cum Svecis ac Moscovitis; verum cum frustra diu rem ageret, tandem descendit in fœdus ipse cum Rege Poloniæ & Domo Austriaca. Mox inito militiæ suæ censu, qui octodecim millium erat, sedem

ſuam *Berlinum* octo munivit propugnaculis, quo commodius, rogatu Polonorum & Germaniæ Ordinum interceſſione, adventantes ſubmoveret Svecos. Multi Svecorum per hoc tempus miniſtri venerant *Wiſmariam* arbitrantes ſe eo loci Regem ipſum juventuros, qui appuliſſet *Gottenburgo*. Rigenſes in Liflandia hac occaſione ulciſci poſſe Brandenburgicum rati per latus affinis illius Ducis Curlandiæ, ut qui nullas haberet vires, quibus reſponderet Svecis, omnes ei eripuerunt portus rebus Svecicis ſatis commodos. *Stockholmienſes* inſtabant ut prima quaque ſtatim occaſione Dantiſcana ad manus ſuſciperetur obſidio, & ut maximis ſimul viribus in Regem irrueretur Polonum, ut & Dantiſcum ſuis cederet armis, Poloniaque ipſa ita cum ſuis collabaſceret viribus, ut exemplo Daniæ non facilè in Svecos inſurgere poſſet. Vix quidquam fuit quod Svecorum Regem ægrius habuerit, quam quod Elector à ſuis defeciſſet partibus: fuitque ſatis ingens Anglorum tum Legato

Portus occupantur Curlandiæ Ducis.

cura,

cura, ne id fieret, quod valde inde metuerit, ne Svecorum hostes à fœdere desilirent Anglicano. Ita in facta Svecorum omnium intenti erant oculi, vicinæque regiones omnes eos ut hostes habebant suspectos. Nequidquam illis fidebat Dania, neç ferre amplius poterat nova in dies postulata in quæ descendebant. Dantiscani à Confæderatis Ordinibus submittenda precabantur subsidia, cum spes nulla superesseret pacis inter Polonum & Svecum, ac Sveciæ jam nonnullę naves ad *Healiam* conspicerentur promontorium. Svecorum Rex cum Regina circa medium Maji *Gottenbergo* ex Norvegiâ *Middelfortum* venit ac inde cum tribus in *Fioniam* navibus. Armamentarium suum per Sonticum traxit fretum. Profectus inde Flensburgum tres publicavit supplicationes, & novum Fioniæ ac Scaniæ immisit militem. In Norvegia quintus quisque militare jussus. Sed interim Sveci novos sparserunt rumores, natas inter Regem & Ordines in Dania simultatęs: metum

esse ne Carolo Regi recens incumbat necessitas opitulandi in rebelles. Nihilo tamen minus Rex *Fredericus*, procul omni suspicione hostium, quidquid à se petebatur, concedere eis maluit, quam non cives suos à Svecorum rabie liberari. Addiditque insulam *Huenam*, retentis tamen qui familiæ suæ inde delebantur reditibus, quò facilius discederent ex Dania, ne regnum suum eadem afficerent calamitate, sub qua paulo ante ingemuerat Holsatia. Magis jam in dies invalescebant simultates inter Svecum & Brandenburgicum: multaque multis opinio recens inter Svecum & Brandenburgicum nasciturum bellum. Nec defectio Brandenburgici sine summo cordolio in mentem venire potuit cuiquam Svecorum: Ipsique Hagæ utriusque Legati in dissidia inde abierunt. Primi Sveci hostilitati parabant causas, ut qui Brandenburgicos aliquot in cineres redegerunt pagos. Elector vicissim omnes *Memelæ* atque *Pillavæ* Svecicas detinere jussit naves, ita quisque

Male habet Svecos quod Elector disceserit.

que

que alterius observabat facta. Mense Julio Rex Reginam suam deduxit *Wismariam*, unde proxima occasione aliò discederet. Ipse nulla facta mora *Oldisloam* abiit, auditisque variis Legatis alios dimisit pacatos, alios animo non satis tranquillo. Fecerant ad Dantiscum Sveci continuas in Neringia munitiones ad littora usque maris ductas, quas omnes auxerant *Reductibus*, quorum singulis quatuor aut sex prospectum erat tormentis; sed cum ne suis opus fiderent militibus, ut quorum plerique Dani fuerunt aut coacti militare Norvagi, destructo à se operi vastantes immisêre flammas. Inde missis quibus diffidebant in penitiora Borussiæ, assumptisque secum bis aut ter mille Polonis, quos ad *Dirschaviam* cæperant, vela fecerunt in Curlandiam, quinque tantùm navibus ad anchoras relictis, quæ ad *Healium* substiterant. Duo illorum millia desiliit in continentem tribus *Memelâ* milliaribus ad *Mangium*. Obvia omnia ferro vastabant flammisque. Præ-

da hic ingens quæ ad *Gonſievium* pertinebat tota. Diſſipata quoque Judæorum Synagoga. Circa ultimum Iulii miſit Svecorum Rex litteras ad Regem Daniæ, quarum hic ſenſus: *Non refragaretur illis ſecum conditionibus inire pacem, quarum gratia ſuus tam diu jam apud Danos eſſet Legatus*; quamvis interim omnia Danis ipſe quæreret diſpendia. Cumque inter ad operas Delegatos convenire non poſſet, Rex ipſe redintegrando negotio Regni convocavit Senatores, præcipua civium capita, quibus ad occulos immane Svecorum oſtendit fædifragium, & quam inſatiabiles eorum eſſent animi. Quibus ſinguli auditis unanimi reſponderunt voce, ſe ultimam omnes malle ſubire mortem, vitamque ſuam & fortunas perdituros pro Rege, Patria, urbe, uxoribus ac liberis, quam præda eſſe illorum, qui nec ſtare promiſſis, nec ſervare fidem volunt. Facti inde omnes ad bellum apparatus. Cives item armati omnes, & cum his duæ ſtudioſorum cohortes.

Regis Svecorum ad Danum litteræ.

Danorum Rex convocat Senatum.

Dani conſentiunt in bellum.

Rex

Rex ipse in vallo manu sua signum fixit belli: spatioque duarum hebdamadum universa in urbis munitionem apparata. Quindecim armatorum fuisse millia constans ferebat narratio. Decimo tertio die Augusti primam cives fecerunt excursionem, quâ in inchoata per Svecos munitione septuaginta interfecti. Sveci reputantes frustra se quidquam contra tam vastam molituros urbem, vi tentarunt *Croneburgum*, ut eo expugnato omnis in urbem ex mari impediretur accessus. *Wrangelio* in oppugnatione occupato, & quibus dictam petebat arcem, ecce Svecorum classem quadraginta quinque navium, cui à rebus omnibus apprime benè prospectum jam in Sontico freto consistentem! Sensit idem malum Norvegia, ubi Danorum Prorex, cum intellexisset hostilia Svecum patrare in Sialandia, omnes suos armavit Normannos, assumptoque *Georgio Bielkio* Svecos suis ejecit limitibus. Quibus ubi satis prospexisset misit quoque ad ejusdem Regni Subcancel-

Sveci ejiciuntur ex Norvegia.

larium, cum duabus navibus milite armatis. Hic expugnavit *Dronthemum*. Svecis *Croneburgum* urgentibus, ubi præfectus loci strenue se diu satis gessisset, ac multis oppugnantes excursionibus magna affecisset clade, nec ullum sibi submitteretur subsidium, pactis tandem conditionibus sese dedidit. Veneratque Svecorum Rex ipse locum spectaturus; sed quo conspecto dixit, illius locum munitionis esse, ut suo quamvis affectus sit damno, diutius tamen hostem potuisse in sui occupatione detinere. Elati hac victoriâ Sveci telonium *Lantskronâ* transtulêre *Elsenoram*: nec non putabant *Hafniam* ipsam vel sponte jam cessuram, aut saltem tantam sibi non futuram in expugnanda operam. Fuitque qui ex Svecicæ militiæ præfectis ad quendam suorum scripsit amicorum *Lubecam* in hæc verba: *Expugnatâ Hafniâ, nequidquam universam metui Europam.* Alter scribens Hamburgum, adventantem Svecorum manum *Gigantum* appellabat *exercitum*. Sollicita interim

Croneburgum expugnatum.

cura

cura erat Hollandis. Unde missa in Daniam Classis Duce *Withio.* Hafniensium interim fide major virtus. Diebus undecimo, decimo tertio, & decimo quinto Mensis Octobris per continuatas ex urbe excursiones octingentos prostrarunt Svecos, qui *Rotschildam* suum revocarunt pedem. Nec quicquam mille tormentorum in urbem profuêre ictus, nec pyrii alii quicunque eodem immissi globi. Pensavit virtutem Regis liberalitas, quæ in multa inde consensit civibus privilegia. Publicatum inde nomine Regis, quicunque ex Svecica militia ad se Germanus transiret miles, eques quinquaginta haberet imperiales, pedes autem decem. Die decimo quarto Octobris deducta Hafniam Svecorum navis, viginti quatuor onusta tormentis ac trecentis aucta viris. Multa inerat præda, & parata multa pecunia, quæ Stetinum primum, mox appulsura erat Rigam. Non exigui itidem momenti inventæ litteræ, ac inter eas Regis ipsius ad *Duglassius* hujus tenoris: *Carolus Gustavus* *Dei*

Hollandorum classis mittitur in Daniam.

Nova Hafniensibus conceduntur privilegia.

Svecorum Regis literæ intercepta.

Dei Gratia Rex Svecorum, Gothorum & Wandalorum. Magnus Dux Finlandiæ, Dux Scaniæ, Estoniæ, Carelliæ, Bremæ, Veurdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Wendenlandiæ. Princeps Rugiæ. Ingermerlandiæ ac Wismariæ Dominus, nec non Palatinus Rheni Dux Bavariæ Iuliæ, Cliviæ atque Bergarum. Præmissis nostris gratiis, ac quæ Deus T. Opt. Maximus sua cælitus adlargiri solet humanitate. Haudquaquam à nobis intermitti potuit, fidelis Campimarschalle, significari tibi missas tuas ad nos litteras diei decimi septimi mensis Augusti, tuto in nostras pervenisse manus, ex quibus volupe nobis fuit intellexisse, summa te allaborare opera quibus rationibus perfici possit institutum, quod in secretis nostris tibi communicavimus consiliis. Et cum id præcipuum sit, quod his in partibus in præsens fieri possit, ideo, intermissis aliis quibuscunque negotiis, hanc unicam dato operam ut Mithovia *in nostram veniat potestatem, cui inde ab omnibus prospicies munitionibus, granariis atque armamentariis, ex quibus satis supersit exercitui. Confidimus juxta perspectæ tuæ jam satis solertiæ ac diligentiæ operam*

operam tuam haud defuturam in rebus omnibus quæ ibi requiruntur loci: curam item exercitus, & totius peragendi ibidem negotii. Ultima hæc tua erit cura, ut nobis innotescat quæ reliqua futura sint rerum Lithvanicarum spes. Cum his Omnipotenti te commendamus Deo. Cronenburgi 21. Septembris Anno 1658. stylo veteri. K. Gustavus. Sequentia Rex *Carolus Gustavus* propria apposuerat manu. *Non illubens scire vellem quousque pervenerint dissidia inter Polonos & Moscovitas, & quid exinde futurum spei. Induxeram nonnullos ad te transmittere ex meis equitibus, sed metuo ne id serius quam intenderim præstari possit. Mens est animum explorare Hollandorum, an huc ad nos venturi sint, vel non, cum res meas ex ipsorum componi necessum sit instituto. Ad hæc nequidquam illis à me adjici potest in præsidium. Protector Anglorum ultimum obiit diem. Faxit Deus ut sequens Protector patris sequatur vestigia.* Unica spes Svecis per continuos hos successus Belgarum intervertere conatus, vel si fieri posset eludere, ut aliquando magnæ illorum illuderent per

Manus ipsius Regis adjecta.

maria

maria potentiæ. Habebant ſua ubique navigia quæ Hollandorum obſervarent claſſem. Oculati hujus fuerunt teſtes *Amelandiam*, *Schellingam* & *Vlielandiam* incolentes piſcatores. Nec in ipſa quidem defuerunt Hollandia qui Svecorum faverent partibus: deſtinatæque duæ naves ex ea erant quæ cum omni bellico onuſtæ apparatu, ſub ſpecie halecinarum mercium *Caſoram* in Svecia appulſuræ fuiſſent, niſi Ordinum inhibuiſſet cura, quæ Danis auxiliari, quam Svecis malebant. Tres datæ hebdomadæ ſecundo expectando vento. Quo inde favente ad diem decimum octavum menſis Octobris ſolutæ anchoræ ac facta ventis vela, factis in id ad Schellingiam Deo ſupplicationibus. Primus anchoras ſolvit *Petrus Florentzius*, hunc ſequutus *Opdamius*. Claſſis in univerſum quadraginta quinq; fuit navium: ſex incendiariæ, atque totidem præſidiariæ. Commeatus inſtructiſſimus. Inſuper quater mille impoſiti milites, qui omnes in continente militarent Daniæ. His

Belgarum Claſſis quanta.

His præpositus *Pichlerus*, vir militia strenuus. Ad diem vigesimum secundum ventum ad promontorium *Schagianum*, ibique ob excurrentium aquarum impetum ad injectas constitutum anchoras. Vix quidquam de adventu Belgicæ classis innotuit Regi, statim vim me itari in Hafniam cæpit. Audito autem cognatum suum *Jacobum de la Guardium* in accessu globo trajectum, Comitemque *Sultzbachium* ex Holsatia à Polonis pulsum venisse in *Sialandiam*, susceptum mutavit consilium, *Amakumque* insulam è regione Hafniæ occupare instituit, quo facilius *Christianum portum*, Urbs est, ad deditionem cogeret. Missæ ad id octodecim naves majores, ac minores quindecim. Expositi equites quingenti, ac mille pedites, qui vix pedem posuerunt in terram, statim fossas ducere munitionesque erigere cæperunt. Quibus Dani auditis *Sunburgum* incenderunt pagum, quod *Christiano* vicinius esset *portui*. Sequutus hostem *Joannes Alefeld* nihil profecit, quod potiores viribus *Amakum occupatum.*

busesset hostis; quamvis hoc salutare dederit incolis quòd tutò armenta sua transmiserint *Hafniam.* Fredericus Rex audita invasione Svecorum in Insulam *Amakum*, præcipiti ausu armatus ipse conscendit equum, deprecantibus tamen exitum ex urbe potissimis. Sequuta quadringentorum manus nobilitatis. Ex Senatorio ordine fuerunt *Guldenleevius*, *Johannes Alefeltius*, *Franciscus Brockenhuysius*, *Ubinius* & alii. Sumpta simul octo minora tormenta. Haud procul *Dragero* conspectus *Wrangelius*, qui nudo vagina gladio suos disponebat in aciem, Rexque ipse Svecorum suas à latere ordinabat turmas. Præfectus militiæ *Alefeltius* primus invasit hostem, qui solutis sclopetis eum excepit. Fuitque tantus Danorum impetus, ut universa planè Smallandica Morneri corruerit legio. Periêre centum & octoginta: reliqui capesserunt fugam. Ducenti sclopetariorum, in paludibus se tutabantur. *Rex* ipse & *Wrangelius* fugere adnisi: & nisi virtute equi evasisset rex

Rex Svecorum &

rex ipse, procul dubio in manus veniſſet Danorum, ex quibus *Urſinius* manibus eum prehendiſſet ſuis, ni lapſu impeditus fuiſſet equi. Ex iis qui in paludibus hærebant, ut ut vitæ peterent veniam ad quinquaginta uſque omnes internecioni dediti. *Sultzbachius* qui præerant Hallandiæ pari ſibi conſuluit fugâ. Bis mille in *Amako* erant equites, pedites ter mille cum hæc iniretur pugna. Ex his quadringenti & quindecim cæſi. Ex equitibus captivi Hafniam deducti centum & quindecim. Ex Danorum parte tres tantum periere equites. Hinc cum Svecorum Rex nihil ſe quidem in Hafnienſes proficere poſſe deprehendiſſet, ſuum eò miſit tubicinem: quo repulſam paſſo, inſumpta à Galliarum & Anglorum Legatis opera ut Daniarum Rex in pacis deſcenderet conditiones, & Hollandorum eluderent claſſem; ſed quæ omnia ſterilia abjerunt conſilia. Dani ſuccurſu Hollandorum ſubnixi, fortunarum ſuarum exitum expectantes, meliorem cum ſperabant ſuc-

Wrangelius fugiunt.

Pugna in insula Amako.

ceſ-

cessum. Sveci vim suam totam concrediderunt classi. Classis eorum octodecim pretorianarum, & sedecim aliarum navium totum utrinq; adeo occuparant *Orisontum*, ut Belgarum classis à Schagiano soluta promontorio, flantibus adversis plerumque ventis non nisi ad diem vigesimum octavum Octobris in Sonticum appellere fretum potuerit. Hanc propulsaturi Sveci magnam tormentorum suorum partem eò direxerunt, unde penitior eorum arceri posset accessus. At *Opdamius* divisa in tres ordines classe secundiore vento per infesta sibi tuto penetravit loca, adeo ut singulæ naves inter fulminantes transierint impetus. Hinc Belgæ ventorum præoccupantes flatum in classicum descendêre prælium. Juncti adhuc *Opdamius* & *Wittius* erant cum ad primum coitum *Opdamius* totius lateris sui tormenta in navem impingeret *Wrangelii*. Unde hic Svecorum Architalassus captâ fugâ se Elsenoram versus subduxit, ut qui perruptam à puppi haberet navem, & ipse

Hollandorum ac Svecorum navalis pugna.

Wrangelius fugatur.

ipſe à diſſiliente in faciem ligno læſus. *Withius* urgentibus aquis invitus à ſuis abreptus; ſed cujus globos experta fuit navis, & capta fuiſſet fortaſſe niſi *Opdamii* eam eripuiſſet virtus, quæ inde ipſam Victoriam fugere coëgit victam, quamvis *Opdamium* ſaltare paulo ante Wiſmariæ ſe doctum dicere non erubuerit. Magna hic, ſi quæ unquam, *Withii* virtus. Cum *Bielekenſternio* congreſſus atque alia Svecorum nave, non prius quatuor à littore orgyis petiit fundum, quam duobus ſclopetariis transfixus globis, & ubi ſexaginta in nave habuiſſet cæſos. In genua prolapſus ſtrenua ſtrictum gladium gerebat manu. Monitus ab hoſte ut deponeret gladium, digna milite reſpondit voce: *Se, qui tot annis in patriam fidelis eſſet, in gregarii militis manum concreditum ſibi gladium nequaquam concedere poſſe.* Deficientibus mox viribus à duobus ſe juſſit in terram exponi præfectis; ſed qui, Svecorum ipſorum teſtimonio, priusquam tetigiſſet inſulam, in cymba

Withii virtus.

Withii mors.

ba defunctus occubuit. Tandem delatus *Elsenoram* in Curia depositus. Sunt qui dicunt una cum nave submersum; sed cujus cadaver à nauta quodam inventum in terram expositum: ipsumque Regem insumptam operam aureo pensasse torque. *Opdamium* septem aggressæ naves fulminantibus feriebant globis. Jamque prora flammis exuberare cæperat, cum, posita in medio navis sede, universum animaret militem, stupendo modo Deo illum tutante inter tot tonitruantes globorum ictus. Spectabat conflictum hunc Rex ipse Svecorum ex *Kronenburgica arce*, qui ad undecimam diei horam tanto invaluit cum fragore ut cælum terræ misceri videretur, ac omnia in sua redire principia. Sine verborum hæc scribi apparatu quisque sentiet, qui *ter mille tormenta eodem exercitæ momento didicerit, & quibus potioræ ne tota quidem habeat Europa.* Favit tandem Belgis victoria. Finita pugna Sveci se *Croneburgum* versus subduxerunt: Belgas *Weena* tutabatur insula. Cecidêre ex Svecis

Opdamius strenue se defendit.

Rex ipse Svecorum navalis pugnæ spectator.

Belgæ victores.

bis

bis mille ducenti, quadringenti quinquaginta capti. Naves Svecorum submersæ quatuordecim. Ex Belgis quadringenti desiderati. Quos aquæ absorpserant de nocte aquarum in littus ejecti fluctibus, ibique sepulti cum quibusdam qui in *VVithis* fuerant consortio. Architalassus *Opdamius* reficiendæ navis gratia venit *Hafniam*, ubi summis exceptus honoribus. Actæ *Hafniæ*, *Berlini* atque *Dantisci* pro victoria supplicationum gratiæ, & publicæ ubique celebrebantur solennitates. Nec minor Svecorum animus qui victoriam à sua stetisse parte rati, suis se victores persuasum ibant, unde augendæ majori fidei *Elsenoræ*, *Wismariæ* atque *Holmiæ* publicæ item institutæ gratiarum actiones; sed cujus rei fidem proximus docuit exitus. Publicum hoc gaudium non unius ditionis terminabatur limitibus. Vicinæ gentes ac Principes omnes suo inde perfundebantur gaudio. Solus Galliarum fuit Rex qui factum infectum voluisset. At Brandenburgicus Princeps facta ad Ordines delegatione, peculiari

Opdamius venit Hafniam.

Principum ac Regum vicinorum ex victoria gaudium.

liari eis oratione gratias egit. Quod itidem à Daniarum Rege factum. Hanc ulturus injuriam Svecorum Rex die vigesimo sexto Novembris repressaliarum quibusq; concessit literas, quarum jure Danicas cuique atque Hollandicas aggredi liceret naves. Submissi in usum Daniarum Regis ab Ordinibus milites, in Regis jurarunt fidem. Auctus inde Danorum animus, qui *Lantskroonam* profecti, quo viginti ac sex Svecorum confugerant naves, ibidem portus obturarunt ostium. Insulam *Bornholmiam* in suam recuperarunt potestatem; sed *Fionia* & *Alsena* insulæ tentantibus non cesserunt. Per hoc idem tempus *Thorunium* in Borussia Polonorum sese dedidit Regi ubi per semestre spatium obsidione cincta fuisset. Ultima hæc anni pars finem fecit Svecici per Borussiam imperii; sed cujus invaluit animus in Dania. Tentatâ male per mare fortunâ, terrestri ausu rem experiri placuit. Fuerunt qui ipsis Calendis Januarii sequentis anni, qui erat 1659, in conspectum venire Hasnienssium susti-

Svecorum classis confugit Lantskronam.

Thorunium se dedit Polonis.

ſuſtinuerint; ſed quos irruens civium facile propulſavit turba. Conati inde fuerunt tranſire in Landiam, in cujus uſum multus omnium rerum erat apparatus ſtruendis pontibus, quibus glacierum, ſi qui eſſent, ſuperarent hiatus. Hos incolæ magna repulerunt virtute. Septuaginta Suecorum cæſi: reliquus prædæ ceſſit apparatus. Die decimo tertio Februarii tentata inſula *Meuna*, in quam ter mille jam expoſiti erant Sveci. Virtus, ſi quæ unquam militi fuit, hic ſane erat *Schrodero*, Viro apud Danos fortiſſimo, qui imperterrito hoſti cum ſe oppoſuiſſet animo, ſupra fidem ocius Svecos magna cum ſtrage totâ ejecit inſulâ. Idem quoque Svecorum ſucceſſus erat in inſula *Amack*, ad diem decimum nonum ejuſdem menſis, in qua Landgravius Haſſiæ *Homborgh* dextrum amiſit pedem. Dani interim cum Hollandis *Pichlero* duce cum in animum induxiſſent tentare *Malmuydam*, cognito rem ad Svecos delatam, ab incepto tutius deſtiterunt, quam cum periculo ten-

Male tentata Landia.

Præclare Schroderi virtus.

Pichlerus fruſtra tentat Malmuydam.

tarent institutum. Hic omnem jam Svecorum Rex movit lapidem, ut Hafniam quibuscunque conditionibus in suam redigeret potestatem: factique tanti per glacies apparatus, ut non sinistrè certissimum alicui suspicari liceret Hafniensibus periculum. Nullus fere fuit locus in quo non aliquid in futurum pararetur usum. Quo tempore diligentissimæ civibus erant excubiæ: nec ullus vicus qui suis destitueretur vigilibus. Quo facto duo deprehensi proditores, qui apertè professi sunt ter mille sibi promissos fuisse à Suecis imperiales, ubi bellicas in portu succendissent naves; sed quæ eis promissa abierunt in deterius. Res ubi non successisset Svecis, adhibiti exploratores qui cuncta specularentur. Verum cum & hi omnes irriti fuerint conatus, ultimum Regis fuit consilium, urbem vi aggredi ipsam. Sed priusquam exequeretur institutum, missus Hafniam Anglorum fuit legatus *Isaacus Everhardi*, qui jam aliquantisper apud Svecorum substiterat Regem,

Hafniæ duo capti proditores

Anglorum legatus mittitur Hafniam

gem, quique à Protectore Angliæ, & alio ejusdem legato *Meadovio* ad Regem Daniarum deferret litteras orationi suæ conformes, quarum hæc fuit summa: *Protectoris offerri officia in procuranda pacis conciliatione inter partium Septentrionalium Reges.* Verùm ubi intellectum fuisset Svecos non minorem habere rationem futuræ oppugnationis, quam pacis conciliandæ: quod vel exinde Danis subolere licebat, quòd Daniarum Regis tubicini cum litteris ad amicos scriptis transitum non permiserint Sveci, & Hollandorum Architalassi vix litteras quo vellent deferri concederent, nec nisi cum hoc additamento, *transitum in præsens tantum permitti, non item in posterum.* Legatus re infecta dimissus est: maximè vero cum Daniarum Regi non obscure innotuisset Svecos die decimo quinto mensis Februarii eadem hora oppugnationem aggressuros, quâ legatus cum Rege loqueretur. Dilata tamen fuit oppugnatio in proximè futuram noctem, quæ inter decimum octa-

Tubicini Svecorum negatur transitus.

Hafnia valide oppugnatur.

vum & decimum nonum diem intercederet. Conatus hic validus fuit, sed qui molientium non respondit animis. Et licet Svecorum jactura magna non fuerit, Danorum tamen non illaudata mansit virtus, qui tam parata restiterunt manu, ut fugam adornantes Sveci ne cæsos quidem suorum secum auferre potuerint. Fuerunt qui Svecorum Regem ab impetu hoc dehortarentur, quod haud in proclivi esset tam validam ac manu potentem hac occupare arte; sed frustra. Firmum siquidem erat Regi, nullis parcitis impensis, susceptum persequi consilium. Nec id Danorum latebat Regem. Missi ergo Hafniâ qui hostem explorarentur. Reversi renuntiarunt ad quater mille ex peditatu & equitatu hostili ex Insula *Sialandia* in *Amackum* transiisse: additum quoque magnum esse curruum comitatum; sed institutum hoc fuisse Wrangelii, qui hac arte eluderet Danos. Ad horam primam redintegratis Sveci viribus urbem à triplici aggressuri regione, omnes candi-

Wrangelius simulat discessum ex Sialandia.

candidis veſtiti induſiis ac pileis tecti, ne à nive dignoſcerentur, in tranſitu, quæ ad excubias expoſita fuit, navem incendunt. Patula inde in oppugnationem Chriſtiani portus via: quem dum moliuntur, occumbit *Smitius*, magni apud Regem nominis, ut & alius ex cognatione Wrangelii ictu globi trajectus. Majus Svecorum molimen ad alteram urbis regionem fuit, quæ ad *Longanghum* eſt. Hic etiam tantus fuit impetus, ut in penitiora munitionum ventum fuerit, perruptiſque quibuſdam munimentis cominus depugnaretur lanceis. Maxima hic virtus fuit *Vavaſoris*, *Ferſenii*, & *Gorgæ*. Auxerant Svecorum animos Regis pollicitationes, quæ, expugnata urbe, triduanæ prædæ ſpem militi fecerant. Rex *Carolus* præſens ſuorum ſpectabat operas. Nec Danis ſuus defuit animus, qui adhibitis omnibus ſtudiis, tanta hoſti occurrerunt virtute, ut pollicentes jam prope victoriam hoſtes, ſpe dejecerint ſuâ, quamvis continuas octo ferè noctes pervigiles.

Stratagema Svecorum.

Smitius occumbit.

Sveci in penitioribus jam munitionibus pugnant.

Præda quanta promittitur militi.

Danorum virtus.

Svecorum in hoc prælio teſſera fuit, *Deus auxilium noſtrum*; Danorum vero, *Honeſtè*. Egregia hic & Hollandorum fuit opera, quam non exigua Svecorum ſequuta eſt clades. Cæſorum tria numerabantur millia: ex iis quas aquæ abſorpſerant, bis mille cenſebantur. Præcipui ex omnibus fuerunt *Vavaſorius*, Comes *Ludovicus Drommontius*, *Gangelius*, de quo hoc circumfertur memorabile, quod ad expugnandam urbem, inter primas ſuas Regi pollicitus fuerit operas, ſe primum fore qui urbis conſcenderet munimentum, atque in pretium præſtitæ virtutis donationis titulo integrum quendam præcipuum urbis vicum obtineret, cum duabus adhæc inibi habitantibus virginibus, quæ inde, ubi Gangelius in ipſa jam urbe cecidiſſet, pollicitationiſque indicia penes eundem depræhenſa eſſent; inaudito exemplo, ipſæ eundem ſpectatum venerant: inde Danico exornatus habitu in Svecorum relatus caſtra. Alios hic memorare brevis narrationis inhibet

Hollandorum virtus.

Svecorum clades.

Memorabilis Gangelius.

bet institutum. Cætera præda ingens. Durante hostili oppugnationis furore octingenti injecti missiles globi, qui, quamvis toti cremandæ urbi sufficere judicari possent, nequidquam tamen sperato profuerunt damno, quin & plerique illorum in ipso soluti aëre steriles abierunt. Toto hoc tempore Sveci adverso pugnabant vento. Per idem tempus duodecim ex Svecico equitatu venerunt Hafniam, qui, conspecta suorum cæde, sese per deditionem tradiderunt Danis: inde qui septem aut octo eos sequuti erant, quod Svecicas in pileis adhuc gestarent tesseras, ad aurei ducati pretium civibus venditi. Eorum omnium constans fuit narratio, Svecorum Regem tanto conamine hoc aggressum fuisse molimen, ut juramento adseverare non dubitaverit, nequidquam fore quod expugnandæ non adhiberet urbi: unde factum quod fugientes quoque ad pugnam redire jussi fuerint, atque inviti mori: dehortanti rem *Wrangelio* renisum fuisse, loquentis-

Octingenti missiles injecti globi.

Sveci milites venditi.

Svecorum Regis in oppugnanda Hafnia animus.

Rex indignatur.

tis-

Wrangelio. tisque verba indignè tulisse. Sequuta inde publica Hafniæ gratiarum actio, quod humanas supra vires civitas in tutamen accepta esset à Deo, quodque non supra octo cives deprehensi sint mortui. Non flaccescebat interim Svecorum Regis animus, nec quam jacturam passus erat, moto ex Sialandia exercitu, turpiorem reddere volebat. Unde *Cosoram* atque *Elseneram* fortissimis firmavit munimentis, ut & *Croneburgum* fortalitium, cui roborando magna detracta pars *Elsenoræ.* Publicatum mense Martio Cesareæ Majestatis nomine Francofurti in Svecos decretum, quod pacis violassent instrumenta. Sed & datæ interim à Carolo Moscovitis induciæ, quo securius in Polonos bellum promoveretur & Danos. Induciarum conditiones hæ fuerunt: *Utriusque partis militem ab omni armorum cessaturum hostilitate, quæq; humanitatis ferrent officia utrinque mutuo probaturum. Utrinq; captivos sine redemptionis pretio ex vinculis solutum iri. Libera commerciorum fore negotia. Neutrum*

Cæsareum in Svecos decretum.

Induciæ inter Svecos & Moscovitas.

Induciarum conditiones.

trum alterius partis hostem quacunque ope adjuturum. Quicunque porro ad pertractandas futuras pacis utrinque conditiones mitterentur, cum plenissima venirent potestate, etiam agendi in subsidium utriusque partis contra præsentem Poloniæ Regem. Ac juxta in utriusque partis arbitrio futurum descendere quoque in conditiones perpetuæ pacis. Non tamen interim Svecorum per Poloniam cessabant arma. Occupata in Svecorum arbitrium *Dirsavia*, & quæ Septentrionalium Svecorum erant vires, magnis curis per Pomeraniam & vicina Poloniæ loca sua impendebant studia. Eodem mense Martio *Wrangelius*, *Waldeckius* & *Hornius* cum sexcentis peditibus ac quatuor legionibus, solutis *Neuburgo* ex *Fionia* anchoris, ac comitantibus duabus Svecicis prætorianis navibus, ut & quinque aliis onerariis, *Strantburgum* in *Langelandia* petere ferebantur. Sed hoc stratagemate eludere Danos fuit *Wrangelio*, qui factis in septentrionalem insulæ partem velis, exinde incolis facessere negotium instituerat. Quò cum lentè ventum esset,

Sveci occupant Dirsaviam.

Stratagema Wrangelii.

esset ac deficientibus inde ventorum flatibus data Danis copia maritimo occursu hosti venire obviam. Multa hic Svecorum cura. Priusquam ex onerariis suum eximunt militem, una ex iis in Danorum venit manus. Evanuit item *Wolfii* conatus qui pugnantibus aliis, suos cum in insulam milites ejicere tentabat, limoso deprehenso vado, ab incepto destitit opere. Reparavit tamen conatum hunc proximus successus. Nam ubi re infecta inde discessum fuisset, *Wrangelius* & *Waldeckius*, subobscurâ forte lunâ, ac Danis nihil quidquam tale sperantibus, ad *Sprosbeiam* suum exposuêre militem, nequidquam postea resistentibus postquam res serius innotuisset hosti. Proxima inde *Tranigkeram* versus via (domesticum hoc munimentum) ducenti, qui illud tutabantur, futuri metu periculi, adventantibus sese ultro dediderunt Svecis. Sequuta mox totius Insulæ deditio, in Svecorum fidem procumbentibus *Bielkio* ac reliquis omnibus qui vel equitatui præessent,

Dani cum classe sua occurrunt Svecis.

Svecorum miles exponitur ad Sprosbeiam.

Tranigkera dedita Svecis.

Bielkius se cum suis tradit Svecis.

essent, vel peditatui. Imitati quoque sunt exemplum & alii milites atque incolæ, ex quorum *illis* centum fuerunt equites, lectioris autem armaturæ quadringenti; *his* autem mille atque ducenti. Dum primus arceretur hostis, trecenti periêre. In præda multus fuit bellicus commeatus, maximo usui futurus adventanti recens hosti, & multis spoliato armis ad *Fredricksodam.* Itum inde *Neoburgum.* Per eadem forte tempora in Svecorum quoque venit potestatem Curlandica quædam navis, ut & una ex Hollandicis, quæ glacierum impeditæ injuriis grandioribus vix resistere poterant viribus, maximè cum Curlandica illa opem suam in defensionem negaret. Verùm pensavit jacturam hanc *Adrianus Banckaertus*, inter Batavæ classis haud minimus militiæ ut & navalis prælii peritus. Navem hic habuit viginti & octo tormentis majoribus munitam: eratque ei cura ut, urgentibus frigorum injuriis, excubias ageret, ne per hostium stratagema sinistri quid de-

Ingens à Danis accepta præda.

Adrianus Banckardus.

litescenti Hafniæ classi ex flammis contingeret. Hanc ejus curam aliæ exceperunt injuriæ. Adurgentium glacierum impetus magno eum robore *Hafniam* versus repulerunt. Sed inter maxima incommoda fuit, quod ad *Weenam* Insulam vadoso impeditus loco, & multis glacierum molibus quasi obstructus subsistere cogeretur. Re Svecis cognita, ac defluente jam glacie, missæ duæ prætorianæ naves quadraginta ac quinquaginta tormentis armatæ, ut & oneraria una, cui prospectum erat à tormentis viginti quatuor; multæ item aliæ minores, quæ dictum vel in deditionem acciperent *Banckaertum*, vel penitus pessundarent. Verùm hæ omnes, vento minus favente, mutatoque itineris cursu, ad *Cronenburgum* substiterunt: mox sublatis anchoris, adjectâque unâ incendiariâ quas poterant vires eas in *Banckaertum* exercebant. Non studiis hic quidquam aut pyrio parcitum pulveri. Prima præmissa erat incendiaria, sequutæ aliæ. Sed quarum incendia-

riam.

riam *Banckaertus* dedit fundo, alias autem quocunque fugientes modo repulit. Redux ex pugna *Banckaerdus* rogatus fuit ut præsens periculi sui apud Regem Hafniæ exponeret rationem. Laudata virtus omnibus, maximè *Opdamio*, qui tum in Zeelandorum (Zeelandus enim erat *Banckaertus*) maximè invaluit encomia. Sequutus inde mensis Aprilis, ad cujus octavum diem *Petrus Heldius*, Belgicarum navium præfectus, solutis anchoris, factisque in mare Balthicum velis, late suos quærebat hostes: unde deprehensis octo Sveci-cis navibus, quæ ad anchoras, haud procul à *Langelandia*, hærebant, intrepido eas aggressus animo, tandem stationem suam deserere coëgit. Ex his una in deditionem accepta, duæ vadis illisæ suis, reliquæ fugâ suæ consuluerunt saluti. Hæc dum fiunt, en appellentem juxta Anglorum classem, Archithalasso duce *Eduardo Montagao*, à Cromvellio Protectore submissam, quæ quadraginta navium numero, octies mil-

Opdamius laudat Banckaertum.

Petrus Heldius.

Svecica classis depellitur sua statione, diripitur & fugatur.

Classis Anglorum, cum duce Montagao.

lenis sexcentis atque octuaginta duobus viris, ac mille octingentis tredecimque majoribus bellicis instructa fuit tormentis. Hæc in Balthicum appulit fretum die decimo septimo mensis Aprilis. Vix ad anchoras substitit classis, missi qui Svecorum Regem de suo certiorem redderent adventu. Ex his autem fuit Vice Archithalassus cum uno ex cognatione *Montagei.* Adventus quam Svecis fuerit gratus, ipse docuit in excipiendis apparatus. Missi itidem qui ad Daniarum referrent Regem, Anglorum ad anchoras proxime subsistere classem. Legationis summa ad hunc fuit: *Montagaum non ad prorogandum venisse bellum, sed ad promovendam inter utrumque Regem pacem.* Sed quia adventitiæ hujus classis steriles admodum fuerunt fructus, ut quæ ob domestica per Angliam dissidia magis metu sui suspensa erat incommodi, quam extraneorum commoda promoveret, hæc hic nobis tantisper tuta stabit ad anchoras & quieta. Interim *Duglassius* in Curlandia collecta qua-

Anglicæ classis apparatus.

Anglicæ classis adventus Svecis gratissimus.

Anglicæ classis ad Regem Daniarum Legatio.

Duglassii in Cur.

quater millium manu, quæ *Libaviam* Ducatus confluxerat nobilitas, hostili universam tentabat manu; sed quæ hostilis conatus edocta curam, pridie quam advenisset hostis, omnes *Memelam* versus profugi, dejecto à tergo ponte, præsentibus, quæ ad manus erant, navibus sibi rebusque suis consuluerunt maturius, quam spes ferebat Svecorum. Facilis inde *Libaviæ* sequuta expugnatio, ut cui à nullis satis prospectum fuit munitionibus Tristis inde *Bremervœrdæ* casus. *Protorius* quidam ex Svecicæ à Secretis militiæ, qui aliquandiu ob crimen à Svecis detentus fuerat in carcere, per absentiam loci Gubernatoris *Volckmanni*, cum convivatum extra urbem discessisset, in vindictam perpessæ injuriæ, aliquandiu ante in id edoctus à Gluckstadii præfecto *Ebersteynio*, qui parata manu se tum in subsidium venturum pollicitus fuerat, contra data sibi à Gubernatore mandata, portas ei occlusit, neque redeuntem intromisit. Deficiente *Eberſteynii* promisso subsidio,

Landiacæ natus. *Curlandica nobilitas profugit Memelam.* *Libavia expugnata.* *Protorius vult prodere Bremervœrdam.* *Volckmanno occluduntur portæ.*

ſidio, ſive quod *Protorii* diffideret pollicitationibus, ſive quod tam maturè cum promiſſa advolare manu non poſſet, priuſquam Svecicus miles in Danicas pertraheretur partes, *Volckmannus* Stadienſium auctus præſidio ipſam expugnavit *Bremerveurdam*, *Protoriumque* captivum, qui ſeſe in aquis deſperabundus ſuffocare volebat, captivum eo tormentis adegit carnificis, ut faſſus fuerit ſe à Danis in hoc factum jam ante duos menſes ſolicitatum fuiſſe. Sequuta inde mortis ſententia, qua vitæ ſuæ finem claudere juſſus fuerat, veluti Tyrannus & Proditor. Præciſo ergo capite, corpus in quatuor diſſectum partes, quarum ſingulæ ſuis affixæ palis ad regias paſſim collocatæ vias: caput haſtæ infixum. Alii conſpirationis ſocii *Bremerveurdæ* in exemplum ſuſpendio enecti. Datæ per hæc tempora binæ à Præpotentibus Ordinibus ad Daniarum Regem litteræ, *quæ ſtatum concernebant rerum Danicarum, quæque ſignificabant ſummam eſſe Ordinibus curam colligendi militis in*

Volckmannus occupat Bremerveurdam.

Protorius captus in aquis.

Protorii mors.

Cum conſpirationis ſociis quid factum.

Præpotentum Ordinum binæ ad Daniarum.

auxil.

auxilium dicti Regis. Hagæ item Comitis utriusque Regis Daniæ atque Sveciæ Delegati suis non deerant partibus qui omnem utrinque movebant lapidem, ut in rem sui quisque Regis aliquid perficerent apud Ordines. Die trigesimo Aprilis *Opdamius* atque Danorum *Bilius* cum suis Hafniâ navibus profecti, ad diem octavum Maji venerunt in Holsatiam. Datus occursus triginta atque duarum Svecicarum navium classis, sed quæ, nequidquam adventum expectans Danorum præfécti *Heldii*, in Balthicis se tutam optabat angustiis. Facta tamen pugna, in qua Confœderatorum sperabatur victoria. Acriori inchoato certamine, ubi Danorum navis præcipua suo non caruisset periculo, ea fuit *Opdamii* virtus, ut accessione suæ navis repara: quidquid esset damni. Læso *Bilckensternio* & *Speckio* Svecorum præfectis, factus in Scaniam recessus. Eodem Aprili mense reiteratæ Legatorum curæ, maximè qui Gallorum & Anglorum venerant nomine. Cum in pacis integræ

Regem littera.

Danorum Hollandorum & Svecorum Classis ad Holsatiam occursus.

Opdamius succurrit Danis.

tegræ conditionès abiri non posset in proximas itum inducias. Per has nonnulli ex Polonorum cohortibus facta *Arthuysâ*, quæ Jutlandiæ est, irruptione in *Samsoam* insulam, unam ex Svecorum occupaunt navibus, multo onustam commeatu, quam Arthuysam detulerunt. Quæ dum fiunt in Dania, Sveci latè totam vastabant Borussiam, tantaque fuit populationis immanitas, ut quidquid tolli posset, id in universum occupanti concederetur. At raptæ hujus prædæ haud prolixum Svecis fuit gaudium, ut quam Brandenburgicus mox miles suo eripuit interventu. Magnis inde allaborabatur operis ut Brandenburgicus miles transfretaret in Fioniam. Sed hic labor in cassum abiit. Multi in rem hanc alia atque alia sentiebant. Fuerunt qui dicerent transeundo justum defuisse apparatum. Tutior sententia eorum qui arbitrabantur, Danos ipsos recentem non exoptasse militem, qui adventu suo fatigatis gravis esset insulis. Interim Svecorum Rex Supremam per Scaniam

Induciæ inter Danos & Svecos

Poloni in Samsoa Insula Svecorum expugnant navem.

Sveci vastant Borussiam.

Brandenburgicus miles Svecis eripit prædam.

Institia curia ere.

niam justitiæ erigit Curiam. Instituta etiam utrinque conciliandæ pacis consilia; sed quæ suo caruerunt successu, etiamsi *Weymannus* & *Copesius* Brandenburgici in hanc rem Legati prolixe apud Præpotentes disseruissent Ordines; quin & scriptæ juxta essent à Daniarum Rege ad Ordines litteræ, quibus obnixè petebatur, *ne aliquam intercedere paterentur moram in submittendo milite, quæ speratam differret pacem*. Hinc *Montecuculio*, Cæsarianorum præfecto, frustra transitum in Fionam tentante, occupat Wrangelius in Lalandia *Nascoviam*. Quæ subsequuta mox fuerant tentandæ pacis conamina inter Gallorum, Anglorum atque Belgarum Legatos, omnia in sterilem abierunt exitum. Hac tempestate sua per Poloniam quoque non siluerunt arma. Polonici exercitus atque militiæ præfectus *Lubomierscius* occupavit *Graudentiam*: & cum in tesseris haberent *parce nulli*, nulli quoque data venia. Flammis ferroque omnia vastata. Occupata etiam *Goldinga* in

cta in Scania.

Daniarum Regis ad Ordines litteræ.

Montecuculius frustra tentat transitum in Fioniam.

Lubomierscius occupat Graudentiam.

in Curlandia; sed quæ per insperatas tota concidit flammas. His temporibus Brandenburgicus miles in Pomeraniam pedem retraxit suum, ut Electoris sui tutandis superesset ditionibus. Daniarum item Rex pacis subscripsit conditionibus Hagæ Comitum compositis, illa tamen conditione ne iisdem teneretur, eas Svecorum Rege non admittente. Unde cum in dictas pacis conditiones Rex Svecorum descendere nollet, data Belgicæ Classi potestas, ut quidquid hostile possent, id in Svecos penitus tentarent omne. Nec suus Svecis defuit animus. Cæpit hinc & in Curlandia res Svecis minus abire dextrè. Ereptum Svecis *Grebinum*, & ad *Mittaviam* non exigua hostium jactura. Multæ passim in Pomerania strages. In Norvegia ille successus per *Bielckium*, ut, *Quistrumbruga*, *Odevaltio* occupatis ac *Nodesantio*, quidquid erat in Scania militis aut Sialandia, id omne in suorum defensionem eo mitti necessum fuerit. Cum his temporibus maxima rerum

Brandenburgicus miles redit in Pomeraniam.

Daniarum Rex subscribit pacis conditionibus Hagæ compositis.

Svecus negat pacis conditiones.

Clades Svecorum ad Mittaviam.

Norvegici successus.

rum omnium penuria premeretur Hafnia, missus *Lubecam* cum suis navibus *Johannes Everhardi*, ex coëmptis omnibus quæ ad vitæ sustentationem necessaria erant, sumptibus Ordinum Urbi universæ atque civibus abundè prospexit. In eandem rem in Iutlandiam profectus per hæc tempora *Opdamius*, literas à Præpotentibus accepit Ordinibus, *reparandis domum rediret navibus*. Classis cura relicta *Ruytero*. *Rœteringius* & *Svartius* ex Svecicis duas occuparunt naves *Holmiam* tendentes, ut & alias tres quæ *Rigam* versus moliebantur. Missi statim *Kielam* qui militiæ Danicæ præfectum *Schaeckium* cum suis inde deducerent, quo tamen incertum fine. Quam rem Svecorum Rex edoctus, quo tutius rebus prospiceret suis, primum Conjugem Reginam transtulit *Nycopingam* in insula Falstera: mox Galliarum admisit Legatum *Trelonium*, aliosque qui nomine Præpotentum ibidem Ordinum nomine comparuerant, petentes *ad communem utriusque Regni pacem attenderet*. *Satis utrin-*

Hafniensium penuriæ succurrunt præpotentes Ordines.

Opdamius revocatur in patriam.

Svecorum Regina transfertur Nycopingam.

Galliarum & Ordinum Le-

gatorum ad Regem Carolum frustranea Oratio.

utrinque effusi jam sanguinis, ac publicam calamitatem suis jam pertæsam sævitiis vel ultro frustra diu speratum optare modum. Legati cum hactenus à Rege Carolo nihil impetrassent, Danus ad diem septimum Novembris quinquies mille atque ducentos equites misit in Holsatiam: pedites quater mille sexcentos, in quibus ter mille ex Confœderato numerabantur Belgio.

Missus à Dano in Holsatiam miles.

Militi per superiorem Germaniam lecto, ut & Polonis aliisque alia data cura. Classi Danicum transmissuræ exercitum datus comes *Ruyterus* cum suis. Hæc dum fiunt, Dani, qui in Continente erant Iutiæ, inaudito suorum adventu, quam ocyssime se contulerunt *Koldingam*, & arcem *Fredricks-Odam* à Svecis desertam occuparunt.

Fredricks-Oda à Svecis deserta, & à Danis occupata.

Proximus inde in Fioniam transitus. Cui promovendo datus à Danis *Marcus Rotsteynius*, & à Ruytero *Gotskius* Amstelodamensis, ut & aliæ duæ naves ex Confœderatorum classe, quæ ex continente militem deducerent in Fioniam. Sed hæc cum adversis dum in transitu ven-

Danus miles deducitur in Fioniam.

ventis certant, insperato successu ad *Aroam* pervenerunt insulam; ubi cum ex incolarum audivissent narratione in sinu *Alsenæ* insulæ navem latere Svecicam viginti ac octo armatam tormentis, aliasque nonnullas omni præda onustas, quam Sveci Fioniam depopulantes detraxerant civibus, ac in Sveciam defferre instituerant, factis illico velis, cum ipsi sinum subire ob vadosum haud possent locum submissis minoribus cymbis, Svecos omnes ex suis depulerunt stationibus. Præda hosti facta. Cum his dum aliquod trahuntur dies, Danicæ militiæ præfectus *Eberſteynius*, ex Iutlandia tuto venit in Fioniam. Erat dies octavus mensis Novembris cum Danica classis cum Confæderata ad *Neoburgum* consisteret in Fionia. Dum in naves minores ac cymbas exponeretur miles, Sveci universum hostem duobus ex munimentis acerrime propellebant; sed quorum conatus irritus. Sequuta illunis & suis nebulis obscura nox exponendo obfuit militi. Jactæ ergo ad urbem

Svecis Fionica omnis eripitur præda.

Eberſtejnii adventus in Fioniam.

Svecorum conatus in arcendis ex Fionia Danis, Classis Confœde-

vatorum ad Cardemundam. bem anchoræ, quæ ad diluculum sequentis diei iterum sublatæ nova ad *Cardemundam* dederunt vela, quæ ad Septentrionalem Insulæ partem est. Confæderatorum hæc classis fuit, quæ huc primum appulerat. Horum adventum Sveci contuentes cum septem equitum cohortibus eorum expectabant adventum: reliqua peditum pars ipsam tutabatur urbem. In exponendo in Insulam milite hic servabatur ordo. Primam ducebant aciem Dani. Confæderati duce *Killigio* dextram servabant alam; sed quorum omnium emergendi conatum indefessis tormentorum arcebant jaculationibus. Præclara hic *Buatii* Galli cujusdam nobilis fuit virtus, qui diuturnæ pertæsus transfretationis, se in exemplum sequuturis nudo cum gladio umbilico tenus in mare præcipitem dedit, nequidquam vel undarum inferne metuens fluctus, nec supernè fulminantes exhorrescens ignes. In terram cum emersissent, Sveci suis deturbati stationibus se contulerunt in urbem,

Ordo exponendi militis in Fioniam.

Buatii Galli Nobilis laudatissima virtus.

Sveci suis deturbantur.

bem, quam ipsam postea, prius-quam ingruisset nox itidem deseruerunt, relictis passim per itinera qui læsi erant, & quæ sine mora secum asportari non poterant. Ultimum Svecorum asylum fuit *Neoburgum*, cum Danus militem suum duce *Sultzbachio Palatino* ad diem decimum quintum ejusdem mensis exponeret in insulam ad *Cortemundam*, Præfectus inde *Eberſteynius* die vigesimo quarto ad horam undecimam matutinam universum Svecorum militem ad *Neoburgum* in acie deprehendit, haud procul à quadam sylvula; sed qui tutam sibi paraverant in urbem recessum, quo fuga sibi consulere possent, si res ita postulasset. Primus *Eberſteynius* cum quadringentis sese opposuit equitibus. Aderat & multa Polonorum manus. Hos omnes primus Svecorum dissipavit impetus. Reparandæ virtuti idem mox submisit *Eberſteynius* Generalem militiæ Cæsareanorum præfectum *Quaſtium*, cui adjunctæ erant Legiones *Caraffæ* ac *Schultzii*. Harum sinistram

tur ſlatibus.

Sveci confugiunt Neoburgum.

Svecorum miles in acie.

Poloni à Svecis dissipati.

Quaſtius Cæsareanæ militiæ præfectus.

alam claudebant nonnulli pedites Poloni. Quibus omnibus succenturiatus aderat Comes *Nathius* cum quibusdam ex Legione *Matheisii.* Sequutus inde ipse *Eberfteynius* cum *Schaeckio* qui Danicis juxta præerat atque Belgicis auxiliaribus copiis. Junctis inde totis viribus acies suo ftabat ordine. Dato signo atque initâ pugnâ primi Sveci retraxerunt pedem. Tandem prisca admoniti virtute ad ipsam civitatis consistentes fossam, instantes repulerunt fortiter. Subsidiarius hos *Schakii* miles firmissima restaurabat manu; verum Svecus avitis confisus successibus, nequidquam de pristino remisit animo, ut qui pristinæ inhians gloriæ nullius gentis parere vellet victoriis. Cedentibus Danis Belgica subvenit manus. Egregia hic *Mellegrii* & *Meterenii* virtus pariter atque laus. Diffugientibus fere Danis primi fuerunt, qui Batavas hostibus opponerent vires, quibus, fractis hostium copiis, ad ipsa perruperunt repagula servatoque ordine Svecos in suas pepulerunt muni-

Danorum in Fionia acies.

Sveci retrahunt pedem.

Restitutæ Sveeorum vires.

Belgica Danis subvenit manus.

Dani in suas pulsi

munitiones. Sequutæ aliæ inde nationes penitiora petebant. *Alefeltius* superata loci fossa sinistram hostium fregit alam, quam mox suis circumdederunt armis Poloni. Hos omnes gentis excidit rabies, quòd *Prazenscio* ex suis olim præfecto ante parcitum non fuerit, aliisque qui potiori erant numero. Pulsis ita loco & acie Suecis, *Sultzbachius* & *Steenbockius*, ubi per sylvã sibi consuluissent fuga, factâ piscatori cuidam trium millium florenorum pollicitatione, qui secum mari se crederet, ex insula se subduxerunt. Data mox *Bielckio* & *Ruytero* mandata, ut cum classibus suis propius ad *Neoburgum* accederent, ne cincti in oppido hostes effugerent in *Sialandiam*. Non leves interim obsessos fatigabant curæ quid facerent. Sequenti die dum ad *Eberſteynium* mittitur tubicen, *Ruyterus*, missis aliquot navibus quæ ad septentrionalem insulæ partem erectum tentarent fortalitium, ipse cum reliqua classis parte haud procul *Neoburgo* venit, ad illam oppidi partem, cui àduo-

munitiones.

Alefeltii virtus.

Sultzbachius & Steenbockius fuga sibi consulunt.

Danica & Belgica Classes appellunt ad Neoburgum.

Ruyterus duo occupat fortalitia. à duobus proſpectum erat fortalitiis: mox facto tormentorum in illam impetu, ac ſubmiſſis qui ſuis invigilarent ſucceſſibus, præſidiarium inde dimovit militem, ac utrumque hinc locum in ſuam redegit poteſtatem. *Principis Auriaci imponitur trophæum.* Occupatis in locis Belgæ Auriaci Principis impoſuerunt trophæum. Ad diluculum ſequentis diei *Ruyterus* ipſe in conſpectum venit oppidi, ac tam prope ſeſe admovit urbi, ut minimi cujuſque tormenti jactus urbis ſuperaret diſtantiam. Repetitis ſubinde multis tormentorum ictibus, *Ruyterus cogit Svecos ad maturandas pacis conditiones.* metu ne exacerbatis Belgis in duriores abirent conditiones, miſſus ex oppido in claſſem tubicen, qui ſuorum nomine impetraret, ne tam atrociter ſecum ageretur: proxime de pacis actum iri conditionibus. Reſponſum à *Ruytero, pacis conditiones fruſtra tentari: ipſam juberi deditionem.* Idem tulerunt reſponſum etiam à Danis. Miſſi ergo ſtatim qui ea de re agerent cum Dano. In his erant *Schoonlebenius* & *Lilienkroonius* cum aliis. *Svecorum ad victores* Inter poſtulata erat, *tormentorum parcerent ictibus*: *habe-*

habere quod postulent: sese in Victorum arbitrium. Non tamen interim Ruyterus à suo destiterat instituto continuatis subinde ictibus deditionem extorquens. Ingressi oppidum *Alefeltius* & *Trampius* per missas ad *Ruyterum* litteras toti Belgicæ indicarunt classi: *datam in arbitrium civitatem, ipsique* Ruytero *gratias agi, quod studiis operisque suis maturam promoverit loci deditionem.* Oblati inde Danis ter mille Svecorum equites, qui Neoburgi erant. Hi omnes per Danos divisi & Germanos. Reliqua jactura ingens, præda multa. Ipsum prælium majus ac nomine suo celebrius, quàm ullum hactenus unquam inter Danos fuit & Svecos. *Sultzbachius* & *Steenbockius* ubi aufugissent in Falstriam venerunt insulam, quam totam inde planctibus perturbarunt atque mœrore. Non sexus ullus aut ætas fuit *Nicopinga* quæ non suos deflendos haberet. Vociferationibus, ejulatu, clamoribus omnibus universa perstrepebat civitas. Rex ipse qui ad mensam tum for-

Legatio dedere. *Delegatio ad classem Belgicam & nuntium de deditione ac juxta gratiarum actio.* *Militia Svecorum deditur Danis.* *Magnitudo prælii ac victoria.* *Sultzbachius & Steenbockius veniunt ad Svecorum Regem in Falstria.* *Planctus quantus fuerit in Falstria.*

Regis Caroli consternatio quanta.

te sedebat inaudita de nece suorum narratione primum non sine suspiriis indoluit maxime, mox & ex ipsa prosiliit mensa, ubi spatio quindecim dierum omnia per Fioniam in hostium venisse manum intellexisset, ac demum in hæc erupit verba, *se nunquam crediturum fuisse tam rigide cum suis actum iri, maximè cum jam de deditione ageretur.* Motis mox inde sedibus se cum Regina sua contulit in *Sialandiam*, ibique consedit *Cronenburgi.* Negata hinc omnia cum Confæderatorum Legatis consilia.

Rex ex Falstria se cum Regina confert in Sialandiam.

Hafniæ contra summa omnium erat lætitia, item *Berlini*, ut & plurimis aliis in locis. Gentium diversarum legati mutuis sibi gratulationibus obviam ibant. Et si classes respondissent transferendo militi, omnis in universum deductus tum in Sialandiam fuisset, qui datam semel persequeretur victoriam. Adeo siquidem Svecicus ubique pavebat miles, ut quisque in alias profugus abiret insulas: quin & equites ipsi, relictis equis suis, pedites item aliique transibant in

Gaudium & lætitia quanta quorumvis super victoriam.

Svetorum inde quanta pugna.

Toffin-

Tossingam, *Langelandiam* & *Aroam*. In quarum hac ultima postea Dani centum ac quinquaginta equites, pedites autem octoginta prædam habuerunt. Verum jacturam hanc pensavit *Wrangelius* duobus ante diebus, quam hac in Fionia parta fuisset victoria, ut qui, ubi ex Sialandia citissimo movisset itinere, veniens *Straelsundam*, Cæsarianos nonnullos, *Stetinum* obsidentes, suis depulit stationibus, ac profligatis non paucis locum ab ipsa liberavit obsidione. Sed in compensationem cujus jacturæ detracta Svecis mense Decembri insula *Usedom*, & à Sialandis Regis Svecorum *Fredericksburgi* depopulatum stabulum, ex quo omnes Regii abducti equi. Quæ inde sequuta vix memoratu digna sunt. Ipse Rex *Carolus Gustavus*, ex quo jacturam hanc in Fionia passus fuerat, totus mœrore ac macie squalidus, parum prosperam præ se ferebat valetudinem, quam cum lenis subiisset febricula tandem die vigesimo tertio Februarii ultimum vitæ clausit diem Gottenburgi, anno mille-

Wrangelii victoria ad Stetinum.

Stetinum ab obsidione liberatum.

Occupata Ussedom.

Regis Caroli abducuntur equi.

Rex Carolus concidit in morbum.

Moritur Gottenburgi.

millesimo sexcentissimo sexagesimo. Princeps in omnem militiæ natus gloriam, atque in eorum omnium factus exemplum, qui, peractis multis præclaris facinoribus, in medio ætatis extincti flore periêre. Natus erat anno millesimo sexcentesimo decimo sexto. Patrem habuit *Joannem Casimirum* Palatinum Rheni, filium *Joannis* I. Ducis Bipontini: Matrem *Catharinam*, filiam Regis *Caroli* IX. sororem *Gustavi Adolphi* cognomine *Magni*. Statura ei fuit mediocris: robur corporis validum: agilis & ad tentanda conamina in primis promptus: facies hilaris & ad humanitatem facta: Consilium ingens ac paratum, inque rebus bellicis peritissimum. Defuncto Rege omnia conquieverunt & singula, universaque armorum moles intimam sperabat pacem. In hanc omnium Legatorum invigilabant consilia; maximè autem Regis Christianissimi Gallorum, Præpotentum Ordinum, & qui submissus fuerat nomine Angliæ: donec tandem ad diem septimum Junii Anni

Caroli Origo & nativitas.

Descriptio personæ.

Defuncto Rege omnia bellica conquiescunt.

ni millesimi sexcentesimi in has itum fuerit pacis conditiones. *Pacem & amnestiam præteritorum fore perpetuam. Inita cum amicis utriusque partis consilia in dispendium cujuscunque irrita futura. Svecicas naves, ex decreto Bremsenborgiensis Conventus, Sonticum fretum sine telonii onere liberum habituras transitum. Bahusium, Scaniam, Bleckingiam atque Hallandiam Svecicarum futuras partium. Borckholmianas, qualescunque supersint, actiones omnes iisdem contentum iri pactis. Regiam Svecorum Majestatem, ad continuandas in navium usus pharos in Scania & Nidingia, annuatim impensuram ter mille atque quingentos imperiales, sine ullo tamen telonii aut quorumcunque redituum jure in ulla Sontici freti parte. Quotiescunque daretur transeuntibus utriusque Regis navibus sibique mutuo obviam venientibus, gratulandi in Sontico freto occasio, eadem per tormentorum jactus atque velorum submissionem utrinque non negligeretur; quin & ex ipsismet proxime adjacentibus augeretur locis. Profecturarum per Sonticum fretum utriusque Regis navium occasionem &* *Pacis conditiones.*

tempus trium hebdomadum ante indictum iri spatio. Ius Danicæ majestatis, quod in insulam habeat Rugiæ, in manus & privilegia dari Svecorum. Quod pensandum superesset in damnum occupatarum trium navium, semestri id spatio solutum iri. Cessarum Regionum incolas fidem suum Regno ac Svecorum Regi juramento præstituros. Regiones ipsas juribus suis ac privilegiis fruituras: maximè verò nobilitatem jure sui Patronatus nunquam cessuram. Agros aut alia quæcunque bona, hactenus in fiscum redacta ad diem Divi Johannis restitutum iri singulis. Traditarum omnium provinciarum rationes ac redituum documenta omnia & singula in Svecicis traditum iri manus. Svecorum imperium tota cedere Sialandia, Lalandia, Falstria & Moënia. *Munitiones omnes prout à Suecis erectæ sunt in illorum futuras arbitrio. Præfecturam Drontheimianam in potestatem tradi Danorum ad conditiones Rothschildianorum tractatuum. Prætensiones omnes, qvas Svecorum Rex jure Bremensis Episcopatus habere posset in* Ditmarsiam *&* Holmenhorstium *penitus cessuras. Male usurpatas in Guineam navigationes à Sve-*

cico:

tico cessum iri imperio. Arces à Svecis aut munitiones occupatas omnes Danis absque bellicis restitutum iri tormentis, nisi quæ Danorum à Svecis non occupata essent in arce Cronenburgo. *Certum datum in Dania iri locum, in cujus tutela omnis Svecorum conservari posset commeatus. Captivos utrinq; sua fruituros libertate. Locorum cessionem ut & Hafniensium ab obsidione liberationem intra proximum futuram quatriduum, totque inde dierum spacio cessuram Danis* Falstriam Mænamque: *nec non eodem inde die* Toningianam *solutum iri obsidionem, ipsamque tradendam* Eyderstedam, *atque in* Hussumum *oppidum præsidiarium intromissum iri militem. Sequenti mox die in Danorum manus traditum iri* Nasschaviam & Lalandiam: *quatriduo inde* Kockium, *ac mox totidem diebus post* Corseram. *Inde Holsatiano* Gottorpio à præsidiario Danico milite liberato, ubi sex effluxissent hebdomades, *ratis habitis, omnibus pactis, atq; adhibitis subscriptionum manibus,* Croneburgum *ipsum in Regis Daniarũ cessurum manus. Addita etiam conditiones: In singulis futuros portibus qui Delegatorum nomine bellici curas habe-*

ant commeatus. Si qui ex dedilitis sedes suas mutare vellent, abitum impetraturos ex more & legibus regionis. Prædicta omnia & singula rata futura: pacta item Hafniæ inter Daniarum Regem & Ducem Holsatiæ instituta anno millesimo sexcentesimo ac quinquagesimo octavo. Partis utriusque mutuæ veniam futuram. Pactorum conditiones sequuturos Augustissimum Germanorum imperatorem, Poloniæ Regem, *ut &* Electorem Brandenburgicum. *In easdem partes adsciscitum iri* Comitem Oldenburgicum, *nec non reliquas* civitates *omnes* Hanseaticas. *Rotschildianum Secretum tutum mansurum, & quæcunque in utriusque partis exacerbationem essent facta, omnia in utriusque partis tranquillitatem consopitum iri. Singula futura rata, & in eorum fidem* Helsingnéuræ, *ad diem vigesimum quartum Junii intimus utriusque partis Secretarius, cum plenipotentiaria sua compareret ratihabitione.* Bormholmium *ad interstitium anni in Daniarum Regis mansurum manu. Inde in compensationem si quid rite à Sveco retribui non posset, nihilo tamen minus Svecorū cessurum imperio.*

FINIS HISTORIÆ.

POLITICA DESCRIPTIO SVECIÆ.

VASTUM illum totius peninsulæ, quam ad manus suscepimus, tractum duo maxima continere Regna, Norvagicum & Svecicum, certissimis constat indiciis. Ex his quia Norvagicum Danico paret imperio nostræ hic non futurum est operæ. Svecicum hic in nostras solum concedet partes. Sed hoc quia non iisdem maris clauditur terminis, nobis quoque transfretandum erit, ac instituta narratione eorum quæ in ipsa peninsula continentur, in opposita abeundum littora, ac tandem peragrandum quoque ubi præclaræ gentis ultima constiterint trophæa. Dicemus ergo prius Regnum ipsum Svecicum, atque factis inde velis in Bremensem ibimus Ducatum, atque ultimò retracto quasi pede in penitiorem

Operis institutum.

Svecia Regnum non iisdem clauditur finibus.

transf-

transfibimus Pomeraniam, ubi salutatis vastis quibusdam terrarum spatiis ipsam Svecici inibi imperii contuebimur majestatem.

Svecia, & ejus fines. *Svecia* Scandiæ quondam, aut Scandinaviæ, vastæ terrarum ad septentrionem molis ad Aquilonem conversæ pars ab Ortu Moscoviâ clauditur & Polonia, Meridionalem versus plagam solum hodie Balthicum habet mare, qua Occasum spectat Germanico clauditur Oceano ac late porrecto Norvagiæ latere, ad Boream iis Lapponiæ finitur terminis, qui Svecicum non agnoscunt imperium. *Ejus natura describitur.* Regio ipsa grandi montium consternitur copia, sylvis vestitur infinitis ac lacubus juxta fluminibusque, incredibilem piscium multitudinem nutrientibus, frequentissimè irrigatur. *Amœnitas Regionis.* Inter jucundissimas adhæc montium convalles latissimis pascuorum gaudet planitiebus, ac scopuli, quibus passim horrida videtur, tenui sed viridi ita obducuntur cespite, ut sua non careant jucunditate pariter atque utilitate: omnesque adeo in fastigia-

giatum descendunt acumen, ut peritissimos etiam omni intercludant aditu: maxime qui ad Finlandium & Svecicum littus frequentissimi pronis partim rupibus, partim undique erectis, regionem totam veluti muro quodam cingunt, ac peregrinos quoscunque hostes ab accessu arcent. Regio ipsa prolixæ & spatiosæ capacitatis, trecentorum & amplius milliarium longitudine extensa est: trium autem horarum milliare intelligas oportet a. Reliqua parte qua inhabitabilis est non montibus impeditur, sed fluminibus ac lacubus, omnium piscium copia frequentissimis. Aliam pascuorum fœlicitatem augent rusticorum, qui ex Hollandia eò commigrarunt, testimonia, quæ sexaginta lactis urnas in Svecia plus casei & butyri reddere affirmant, quam in patria centum b. Hanc pascuorum commoditatem infinitæ rigant paludes, quæ omnes in pisculentissimos abeunt lacus, quos superbæ undique ambiunt urbes, arces & splendidæ nobilium domus; nec non ferri ac cupri atque

Quantitas regionis.

a *Angust. lib. Baro in Moersb. in Itinerar.*

Fertilitas Regionis.

b *Martin. Zeil. in Descr. Svec. p. 53.*

Lacus pisculenti.

atque interdum etiam argenti fodinæ: ut non immerito quis suspicetur Svecorum regnum ita suis abundare opibus reditibusq; ut non facile aliis cedat Principibus *a*. Reliquus ager rerum vitæ sustentandæ sufficientium feracissimus, excepto vino quod & aliis multis juxta regionibus natura negavit, sed cujus injuria opimo pensavit melle & pecorum fætu plus quam aliis gentibus usitato. Gentis antiquitatem hactenus dubitavit nemo *b*; sed quæ postea in varia divisa abiit nomina, quorum omnia suis cum titulis ex Scandinavia in varias mundi transiverunt partes. Ex his autem fuerunt *Gothi*, *Vandili*, *Visigothi*, *Gepides* c. & *Longobardi* d. sive *Winili*. Sunt qui ejusdem cardinis populos putant, *Æstones*, *Francos*, *Venones* & *Salios* e, qui ad *Salam* amnem, Ubsaliam perluentem, depredicantur nati *f*: nec non *Senones*, qui *ingenti agmine ab ultimis terrarum oris, cum media vastassent, ad interitum urbis Romanæ properarunt* g. *Senones* autem cum *Sveonibus* eosdem fuisse, levi vocis docemur flexurâ,

a Ol. Magn. lib. 2. cap. 19.

Gentis Antiquitas.

b Isid. in Chr. Goth. & Proc. l. 1. Bell. Vandal.

c Crom.

d Paul. Warnef. lib. 1. c. 2.

e Strab. & Plin.

f Tacit.

g Ukr.

quæ

quæ exoticis familiaris *a*, & testimonio *Taciti*, apud quem *vetustissimos se nobilissimosque Svevorum Semnones* memorant. Ne quid de *Vandalis* dicam, quos à *Daliis* Scandinaviæ populis derivat Hadrianus Junius: atque *Ascanziis* quos ex *Scanzia* egressos ipse meminit Plinius, & ad Mæotida paludem suas posuisse sedes. De *Helvetiis*, quos proprium *Svizerorum* prodit vocabulum ita Bodinus *b*: *Quid Helvetii? qui cum à Svecis originem traxerint, non modo se ipsos, sed & tot finitimos populos tyrannide oppressos in libertatem vindicarunt. Austriæ Principes sæpe fregerunt, Germanis maximas clades intulerunt. Imperii Germanici non minimam partem occuparunt: denique tantum armis ac viribus profecerunt, ut Principum censores ac magistri vocentur.* Ac mox *c*. ex Scandia egressos asserit, *Gothos, Francos, Hunnos, Herulos, Anglos, Normannos*, à quibus res maximæ gestæ sunt, & florentissima constituta imperia, in Gallia, Britannia, Hispania & Italia *d*. Ut non immerito *Carolus V.* dicere solitus fuerit, *Universam totius Europæ nobilitatem*

a *Hadr. Iun. Hist. Bat. c. 21.*

b *In Meth. Hist.*

c *Cap. 2.*

d *Pont. Chor. Dan.*

ex Scandiæ ac Gothiæ tractibus fuisse proseminatam a.

a Lev. Lemn.

Mores Gentis.

Mores antiquæ hujus gentis laudatissimæ loquuntur leges, quæ ita ad humanitatem loquuntur & justitiam, ut multis imitamento cesserint, etiam apud alias gentes constitutis. *Et si quid contrarium huic laudi à cæteris præscriptum fuit, id potius amore suarum consuetudinum, & odio victorum dominorum.q; ab iis factum fuisse, qui non aliter clades suas quam victricis gentis vituperiis ulcisci potuerunt* b.

b Joh. Ludov. Gothofr. Archont. Cos. de Morib. Svec. & Goth.

Militiæ gloria.

Militiæ item gloriam & prisca & moderna satis asserit experientia. Celebratissimæ siquidem Gothorum ex Svecia vicinisque regionibus nationes magno egressæ numero, diversis se orbis infuderunt partibus, ostenderuntque quodnam fuerit illarum gentium, quæ ingentem illam peninsulam, Scandinaviam, veteribus dictam, incoluere, *robur* & *virtus*, ut qui soli docere potuerunt se torpore, otio & inertia flaccescere non posse, quiq; instar numerosissimi cujusque examinis, desertâ patriâ, non dictas

dun-

duntaxat Europæ partes, sed ipsam quoq; Italiam gentium invaserunt reginam, expugnatamque longo obtinuerunt tempore, cui latè dominati fuerunt. Crudelem qui dixit gentem, crudelis est. *Quis miles nisi fuso cruore?* Barbariem tollit vincendi ratio & modus occupandi. Unde nobile de gente testimonium: *Sveci moribus simplices sincerique, ambitione non flagrant, nec stimulantur ab avaritia* a. *Naturaliter magnanimi sunt & audaces, faciles ingenio & subtiles, providi & constantes in proposito, in gestu & habitu approbandi, præpollentes viribus, statu ardui & proceri, duri vulneris & manu prompti, validi corpore membrisque apti ac dispositione compositi* b. Adhæc ludus illis semper fuit gladiorum ictibus nuda exponere capita, quæ etiamnum singulis durissima. Reliquarum virtutum moralium exempla sine exemplis: *Humanitatem* in hac miraberis gente, *temperantiam*, *hospitalitatem* ac *fidem* c. Uxorum, quæ ante fuit, pluralitas tota omnibus exulat regionibus, idque

Occupant multas Europæ partes & Italiam.

a *Ioh. Bot. in Orb. Amph.*

b *Alphons. Carthag. de Goth. citant. Paulin.*

Quis virtutum moralium usus.

c *Adam. Brem.*

Castitas Gentis.

adeo

adeo ut ſi conjugem quis cognoſcat alterius, vel vitium faciat virgini crimen habeatur capitale *a*. Valida ac robuſta incolarum corpora. Ingenia ad quaſvis artes, diſciplinas ac ſcientias, capeſſendaſque linguas ac idiomata perquam deprædicantur idonea. Habitatio hodie non eadem quæ olim ſub eodem cum gregibus tecto. Priſca ubique manet ſimplicitas, quamvis nonnihil ab antiqua paſſim, quæ damnoſa ſæpe fuit, remiſſum ſit hoſpitalitate. Latrones nulli & graſſatores, aut ſi qui paſſim, quod rariſſimè contingit, inveniuntur, graviſſimis plectuntur ſuppliciis, ita animus ubique ad virtutem roboratus. Balnea utrique ſexui frequentia, quæ innatum promoveant robur, & multis Septentrionalibus pariter atque Orientalibus populis communia. Si quæ muliebris ſexus modeſtia alibi laudata, hic certe & in vicinis regionibus laudatiſſima: prudentiam, caſtitatem, ſagacitatem ingenii atque abſtinentiam non alibi quiſquam deſideraverit ma-

a Mich. O Wexion de Gen. & Morib. Pop. Svec. Goth. c. 1.

Ingenia Svecorum & Habitationes.

Latronum pœna gravis.

Sexus fœmineus modeſtiſſimus.

majorem. Temperantia ſtupendo major modo. Invenias panem ex tritico, ſiligine aut etiam hordeo. Quin ſi urgeat neceſſitas, etiam ex pinorum & abietum corticibus, quem ita ſtomacho pinſunt utilem & concoctu facilem, ut ritè quis à narrantibus vix admittat. Carnium convictu, quarum regiones abundantia frequentiſſimæ, omnes gaudent & ſinguli, quibus vel fumo, vel ſale conditis in diuturnum veſcuntur tempus, multum in id faciente frigore, quod ſpiſſandis prodeſt corporibus & à vermium corroſionibus arcendis. Miraberis Svecos ipſos multum non delectari vitulinâ. Maſculum id præ ſe fert animum, quod delicatiori cibo avitam nolint debilitari virtutem. Finni adeo abhorrent ut piaculum putent quidquam ex eâ delibaſſe. Piſces omnibus frequentes adeo, ut vel ſole induratis utantur vel ventis, quibus ita indureſcunt ut in annos reſervari poſſint, inque alias regiones negotiationum commercio transferri. Sed quod regionis auget admiratio-

Temperantia Gentis.

Carnium uſus frequens.

Vitulina carne non utuntur.

Piſcibus quomodo utantur.

tionem, non minor hic in id opus hiberni temporis clementia, quam solis æstivo tempore beneficium. Butyri atque casei juxta reverentia hic magna. Sunt qui inde incipiant cænam, finiant inde, continuent autem raro, nisi qui tenuioris maxime sint conditionis. Leguminum aliorum usus idem qui apud frequentissimos passim populos. At quis non raparum in Lappia miretur multitudinem & usum, qui multis vicinis cedit populis. Amictus cunctis simplex, & quod ad avitam gentis facit affinitatem, etiam hodie Lombardico non absimilis populo. Fæminarum prælonga eaque nigricabunda promiscuè pallia, &, quod ad ornatum regionis facit, densissimis corrugata plicis, nisi quæ sint, quæ ex recentioribus bellis eorumque consuetudine, peregrinarum gentium imbutæ ritu, novas subinde vestium induant imagines. Arma cordi omnibus. Rustici clavam amant & securim. Nobilitas, & qui in illius est comitatu gladiis, Germanæ gentis instar

Butyri ac Casei apud Svecos reverentia.

Amictus simplex.

Arma.

ſtar aut Gallicæ incedũnt armati. Habitacula ex ligno frequentia, Quæ baſilicas faciunt domos aut ſacras, ex lapide munifica ſatis exſtructa manu. Cæterum *natio* omnis *ſagax*, *induſtria*, diſcendarum avida artium & exercendarum gnara, ſobria etiam atque attenta *a*:quo fit ut plurimos reperias, qui ad centeſimum atq;trigeſimum, quin & quadrageſimum uſque annum vitam prorogent ſuam. Reliquas vitutes brevi quis deſcribat compendio, quo *incolæ regionis* ſint omnes *candidi & recti amantes* b; quamvis ne hæ ſubmiſſæ carmine laudes quidquam genuinæ gentis detrahant imagini, quæ ex bono hic ſubmittimus authore *c*.

Ædium ſtructura.

a *Petr. But. Com. rer. Germ. lib. 2. cap. 16.*

Longævitas populi.

b *Thom. Lanſ. de Princip. inter Provincias Europæ.*

c *C Eraſm. Mich. Lati in Rer. Dan. lib 2. p. 57.*

Interea ſi quid reliqui eſt virtutis & uſus,
Antiqui ſolis velut inſita munera Gothis
Eſſe ſuper videas. Non ſe verſuta, non ſe
Luxus & inviſo conſperſa licentia fuco
Vendicat, eſt genti, ceu notum eſt omnibus, æqua

Sim-

Simplicitas morum: studium bene velle mereri
Et nihil effreni miscere, paterna tumultu.
Vestibus à primis manet una prætextibus orta.
Integritas, rectumque colit priscisque quiescit
Moribus, & Regum quæ sunt mandata veretur.
Gens sanè ad dandum promptissima, cujus abuti
Interdum videns, aliosque aliosque benignâ
Prælargâque manu, claris dum damna malumque
Pro meritis præstant, odiumque in premia præstant, &c.

Quæ antiquitus fuerit forma imperii

Antiquissima imperii forma eadem quæ gentium aliarum nationumque penes Reges fuit, quibus subinde defunctis paternarum sæpe ditionum hæreditas in filios dividebatur, illa tamen lege, ut unum summum agnoscerent Principem, à cujus omnia penderent nutu. Is autem erat qui Ubsaliensi præerat ditioni; fuit ejus tanta apud omnes majestas, ut & annua ei penderint

derint tributa, quo Monarchicam communi omnium consensu imperandi tuerentur formam. Est enim ille gentis genius ut multorum ferre imperium non possit. Quod si minorennis aliquando hæres fuerit relictus, dati tutores qui personam Principis & regnum ex unius administabant nomine. Ita totum belli imperium penes unum fuit, ut & cuncta judicandi potestas; sed quæ unius Regis authoritate diversis demãdabatur per territoria judicibus, à quibus ad Regem, vel illius Comitia, esset appellatio. Qui recentiora genti Regum volunt nomina, quam nationum fert antiquitas, de titulo disputant, non authoritate. Nam quæ antiquitus principatus erat potestas, eadem semper fuit quæ hodie Regum, ut quorum omnia agebantur arbitriis. In Monarchico autem hoc imperio liberi hæreditario parentibus succedebant jure, nec minus Regnum, quam cætera patris bona, ęquitate quadã ac studio erga imperantes ducti, ad gnatum pertinere ipsi judicabant incolæ, quoties is Successori fuerit animus, ut

Aristocratiam Sveci ferre non possunt.

Regnum fuit hæreditarium.

vel regnum non respuerit, vel populi defensionem eâ susceperit fiduciâ, quæ tuendis communibus sufficeret fortunis. Dignus hic notatu priscus succedendi in patrium solium ritus, qui talis fuit: *Rege priore mortuo proximus hæres in sceptra successurus sumptuosum apparabat convivium prædecessori justa persoluturus. In ipso Symposio, seu Diata, futurus Rex primitus non ipsum thronum & supremam sedem, sed inferius scannum, sive scabellum, occupabat, donec ingens scyphus* (vulgo *Brokebagaren*) *inferretur. Huic* R*egni candidatus venienti assurrexit: acceptoque magna cum veneratione poculo, aut immani cornu* (prout tum moris erat ex talibus bibere) *votum præstitit jurejurando sese adstringens, non modo justè regno usurum, verum insigni quoque facinore collustraturum, terminosque dilataturum, atque ita cyathum evacuabat: & postmodum in solium parentis sive antecessoris honorificè deducebatur* a. Sed antiquato hoc Electionis ritu, vicinioribus inde sæculis alius designandi creandique Reges mos invaluit ac consuetudo, quæ talis fuit:

a *Sturlesson in Chron. Norveg. de Regib. Svec. in vita Ingialdi Reg. c. 15.*

Con-

ConvocatisAquilonaribus unanimis consentiebatur suffragiis, ne quis porro pro Rege haberetur, qui non apud *Ubsaliam* electus decerneretur *a*. Fiebat autem hæc electio apud lapidem *Morasteen* non procul Ubsaliâ distantem *b*, quem alii minores duodecim cingebant. Antiquissimum hoc *saxum Regis effigie insignitum erat, regioque scuto adornatum, dextrâ aureum tenente pomum, sceptrum sinistra.* Confluente ad hunc lapidem immensa hominum multitudine, maximè Regni Senatoribus, Legiferisque sive judicibus Provincialibus, & Urbium Rusticorumque delegatis ad destinatum diem concurrentibus, ex Senatorio ordine primus oratione gravi, eligendi Regis atque habendi necessitatem exponebat, omnesque ut diligenti circumspectione atque justa cum mentis deliberatione politâ longiori morâ, quem Regno maximè profuturum Regem existimarent, liberis votis, sine privato affectu ut designarent admonebat. Inde novo Regi subditi jurisjurandi religione ultro citroque

a Eric. Ubsal.

b Ioh. M. lib. 21. c. 1. & Ol. M. lib. 8. c. 1.

Reges eligebantur ad Saxum haud procul Ubsaliâ.

troque adſtringebantur. Sed noviſſimis centum & ſeptuaginta circiter annis ſub exterorum tyrannide exactis, novus ante ſeculum & quod excurrit, Regis conſtituendi modus ſaluberrimo introductus eſt conſilio. Ut ob merita GUSTAVI I, nec minus ut fluctibus, diſſidiis atque tumultibus, quæ Electionem comitari ſolent, patria liberaretur; ex poſteris ejusdem & laudatiſſima familia *Guſtaviana*, quamdiu ullus ſupereſſet, Rex hæreditario jure ſuccederet ac crearetur. Et ſi Regi plures eſſent filii, natu maximus in ſceptra ſuccederet, hujuſque filius patruo præferretur; cæteris autem Regis filiis certi Ducatus decernerentur. Filialibus autem honeſta iiſque digna ſuſtentatio, nubentibus vero centum aſſignarentur imperialium millia, ex ſpeciali Ordinum contributione. Hæreditarium hoc jus primò in Comitiis *Orebroënſibus*, circa initium anni milleſimi quingenteſimi & quadrageſimi à Regni Senatu, & præcipuis Ordinis Equeſtris, Rege GUSTAVO I.

Noviſſimus eligendi Regis modus.

ejuſ-

ejusque posteris assertum, ac quadriennio post *Arosiæ* die decimo tertio Januarii unanimo & libero Regni Ordinum & primariæ Nobilitatis Sveciæ consensu, suffragio atque decreto corroboratum fuit.

Solemnitates quænam observentur in successione Regum. Publicam successionis curam hæ in Svecia seqvuntur solemnitates. Primum ex Regia Ubsaliensi fit processus in templum Cathedrale, ubi ipsa peragi solet inauguratio. In processu inter arcem & delubrum utrinque Equitatus Regius & illustrium viam claudit, per quam, veluti plateam, proceditur. Processus verò ordo hic est. *Quis Ordo servetur in processu.* In ipso ordinis frontispicio duo præcedunt præcones. Hos Tubicines cum æneis seqvuntur Tympanis. Inde Aulicus sequitur Mareschallus cum cæteris Illustribus, Aulicis, & si qui sunt alii nobiles exotici, vel illustri Collegio nondum inserti, qui omnes singulò terni cedunt ordine. Proximo ordine conspicitur Marschallus Provincialis, quem omnes Comites, Barones & Nobiles in illustre relati Collegium comitantur, itidem ter-

ni ac terni; ex quibus tamen qui inferiores ſunt præcedunt, qui autem ſuperiores ſunt ſeqvuntur. In tertio ordine duo itidem viſuntur Præcones, quos Tubicines cum gemino ſequuti æneo tympano Regni præcedunt Mareſchallum baculo inſtructum. Hos bini ac bini Regni ſequuntur Senatores. Inde Archiepiſcopus olei ferreum portans cornu, ac demum Regalia geſtantes ſupremi Regni Senatores. *Coronam* Drotzetus, *Gladium* Marſchus, *Sceptrum* Admirallius, *Aureum Pomum* Cancellarius & Theſaurarius *Clavem*. Drotzetus & Marſchus proximè antecedunt Regem. Tandem ipſe Rex ſequitur, quem holoſericum tegmen à quatuor ex præcipua nobilitate geſtatum tegit. Rex equo inſidens progreditur. Latera utrinque ſtipant ſatellites, & qui ſunt corporis cuſtodes, omnes bipennibus aliiſque inſtructi armis. Regem ſequuntur qui exteri adſunt Principes eorumque Legati: quos omnes ingens comitatur miniſtrorum caterva. Hinc Reginæ Marſchal-

ſchallus aulicus, cum ſexduplici nobilium ordine, ternis ac ternis pariter procedentibus, ſequitur. Hos excipiunt currus *Reginam* atque *Duciſſas* vehentes, quas ſuum immediatè ſubſequitur Gynecæum. Mox Comitiſſæ ac reliquæ illuſtres Dominæ ac Virgines ſequuntur, quotquot tum præſentes fuerint. Ad Templi Cathedralis valvas, ubi Epiſcopi & Superintendentes alios præſtolantur, Regnique Proceres cum Regalibus ſubſiſtunt, unus Epiſcoporum adventantem Regem his excipit verbis: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Alius verò felicia cuncta comprecando, peculiari voto & precationis formulâ, in hunc uſum conceptâ, gratulatur. Hinc Epiſcopi & Superintendentes Regium Senatum ad altare uſque in templum præcedunt: ubi utrinque ſubſiſtunt; Regalia verò imponuntur altari, *Rege, Regina* Principibuſque atque Duciſſis ſingulis ſua ſubſellia occupantibus. Inauguratio ipſa his peragitur ritibus. I. Archiepiſcopus è ſugge- *Quænam in Augurationе obſerventur.*

ſtu *textum* explicat *Scripturæ* dictæ inaugurationi congruum. Finita concione *Symbolum Chriſtianæ fidei* Svecico concinnitur idiomate. Mox *Litania* cum appoſitis aliis recitatur precationibus ab uno Epiſcoporum. II. His præmiſſis Rex ex ſuis ad altare deducitur ſubſelliis. Marſchalli cum ſuis præcedunt baculis. Latus utrumq; Regis claudunt *Drotzetus* & *Cancellarius*. Tandem Archiepiſcopus Ubſalienſis inchoato Inaugurationis actu rem hiſce perſequitur ceremoniis. 1. Una cum dictis duobus proceribus Regem circumdat *chlamyde*. 2 Flexis Regem genibus coram altari precatum *oleo* è cornu deprompto *inungit*, frontē ſcilicet & lacertos, addita convenienti ad id precatiunculâ. 3. Regni Cancellarius *Iuramentum Regi recitat*, extenſa voce digitiſque ſonorâ voce præſtandum. 4. Rex coram altari *Solium* conſcendit. Archiepiſcopus *coronam* auro gemmiſque fulgentem, regio aptat capiti, adhibita itidem congrua in id oratione. 5. Porrigitur *Sceptrum*. 6. Aureum *pomum*. 7. *Clavis*. 8. *Enſis*, adaptata de-

Inaugurationis ceremonia.

devota singulis precatione. Quibus peractis, unus præconum Stentoreâ exclamat voce: *Nunc coronatus est. R. N. in Sveciæ & Gothiæ Regem & nullus alius.* Totusque cætus sublata respondet voce: *Vivat & floreat Rex in perpetuum.* Rex inde in manu Sceptrum, in capite retinet Coronam, cætera Regalia, iisdem, qui ante ea habuerunt, reddit Senatoribus. Ubi in suum rediit subsellium, Svecico idiomate Psalmus canitur vigesimus. *Exaudiet te Dominus in die tribulationis. &c.* Peractis his omnibus, processus, è choro hoc iterum instituitur ordine. Rex à *Drotzeto* & *Cancellario* in ipsum deducitur thronum, ubi Regium occupat solium Marscalli, & Regalia præcedunt cum Regni una Insignibus. Hinc Provinciarum quoq; insignia adferuntur ad thronum, quæ Rex in Feuda concedere decreverat, quæque Rex distribuit, Regni insigni manu tenens. Vasalli capulum insignium generalium dextra apprehendunt, suorum vero Feudorum sinistrâ. Marschallus deinde Regni cum genera-

libus Regni insignibus ad dextram; Vasalli cum suis ad sinistram infra throni gradus concedunt. Inde Regni Senatores per præconem evocati, ordine singuli, ad ultimum usque genibus accedunt innixi; suum fidelitatis præstituri juramentum. Mox Rex suam singulis porrigit dextram. Tandem postea in stationem suam quique recedunt, dum Svecice *Te Deum laudamus* publica Musicorum intonatur voce. Rex throno discedens ex templo in Regiam suam, eodem quo venerat ordine, revertitur, nisi quod Marschus cum universalibus Regni insignibus immediatè subsequatur Regem. Quod dum fit multa auri argentique in populum sparguntur missilia: epulumque regia præparatur magnificentia, quo omnes excipiuntur præsentes, fusoque ad satietatem vino cuncta omnium personant jubilis lætitiâque. Sequenti die omnes in arcem conveniunt Ordines, ac Regi elevata jurant manu & porrectis in cælum digitis. Illustres & Nobiles, equis hoc faciunt insidentes,

Ordo redeundi domum.

Ritus præstandi juramentum Regi.

tes, qui Urbium sequuntur jura atque Rustici erectis in pedes corporibus. Hinc Rex unus est cui competit religionem defendere ac promovere. Arces, castra & provincias in potestate habet: omneque jus suum & Coronæ secundum leges tuetur. Ipse Dei in terris vicarius est, nec quenquam in terris agnoscit superiorem. Leges condit universis & singulis; non exclusis tamen Ephororum Ordinumque suffragiis. Has solus interpretatur omnes, omniumque judiciorum supremus inspector ac revisor. Jus vitæ & necis juxta Ordines habet. Constituit Magistratus & jurisdictionem tribuit. Principes, Duces, Comites, Barones, Nobiles, Equites creat, eisque contribuit Feuda. Doctores, Licentiatos, Artiumque Liberalium Magistros creandi, potestatem per Delegatos facit. Restituit famæ. Salvum tribuit Conductum. Publicos ordinandi Cursores licentiam præstat. Præmisso Ordinum suffragio bellum indicendi jus habet; ut & sanciendi pacem;

Regis authoritas.

Fædera item pangendi & mittendi Legatos. Rex etiam summum jus obtinet Fisci. Armandias sive loca ubi clauduntur arma, suis munit privilegiis. Ius viæ publicæ, & hanc a latronis tutam præstandi, summum retinet. Flumina publica cum suis reditibus ac portubus, atque in iis vectigalia disponendi aut tributa, ex Ordinum ordinat consensu. Contributiones alias extraordinarias, exigente necessitate, juxta leges injungit. Monetam cudit & cudendi dat potestatem. Exigit angarias. Mulctæ partem interdum capit totam. Arces erigit & Castella. Condit Urbes & condendi concedit privilegium. Inque metallicas jus summum habet fodinas.

Regni Senatores & quæ eorum officia.

In Regni administratione proximi Regi sunt *Regni Senatores* numero ordinariè viginti quinque. Horum munus & officium est, Regem de jure admonere Regni, eique pro viribus svadere utilia. Ordines ac plebem in fide confirmare & obedientia: omniaque ordinariè & extraordinariè singula ad dignitatem.

tem commodumque Regis conferre ac Regni. Hi quotidie in Buleuterio cum Rege recentes ineunt consultationes. Sunt autem publica ejusmodi Buleuteria quinque.

I. Est *Collegium Iustitiæ*. Hic Iudicialia quævis & Casus forenses, vel directè cognitioni Regis subjacentes, vel per apellationem huc devolutæ, spectantur, unde & *Regium* vocatur *judicium*, vulgo *Hoff-raet.* Huc fiunt appellationes ex Ducatibus & provinciis, dummodo causæ valor majoris fuerit momenti, & in processu nominatam æquaverit summam. Hic læsæ Majestatis dijudicantur crimina: item quærelæ denegatæ institiæ ab inferioribus judicibus, & si qui casus à Senatibus Academicis decidi non possint. Nec ultorior datur provocatio, seu appellatio. Datur tamen vel per Libellum supplicem, vel impretrata licentia à Parlameto, apud S. R. M. *Beneficium revisionis*, numeratâ certâ pecuniâ, quam retinet Collegium. sive approbetur sententia, sive reprobetur. Sunt autem talia Parlamen-

Collegium justitiæ.

Quatuor Parlamenta.

Stockholmiense. lamenta quatuor, quorum 1. & præcipuum est *Stockholmiense*, ubi *Drotzetus* Regni præsidet cum sedecim Assessoribus, quatuor Regni Senatoribus & sex aliis Ordinis Equestris, ut & sex litteratis atque jurisconsultis: quibus adsunt Secretarius, Fiscalis, Actuarius & Scribæ. Estque hujus Parlamenti tanta in Svecia authoritas, ut ipsum ei subjaceat Regnum cum Helsingiâ Dalecarliâ & Borealioribus provinciis: nec non si qui speciali privilegio cæterorum Parlamentorum cognitioni eximuntur: ut Ducatus *Æstiæ* & urbes *Riga*, *Revalia*. 2 Parlamentum habetur *Junecopiæ*, cui præsidet unus ex Regni Senatu. Assessores sunt sex nobiles, & totidem alii viri eruditi atque prudentes: quibus suus etiam est Secretarius, Notarius & Advocatus Fisci. Huc pertinet Regnum Gothiæ, cum Wermia & Dalia provinciis. 3. Parlamentum est *Aboæ* in Fenningia. Hoc Præsidem habet Regium Senatorem, Assessores sex nobiles, aliosque totidem prudentes.

Junecopiense.

Aboënse.

dentes viros ac cordatos; item Secretarium, Notarium & Fiscalem. Huic subest Magnus Fenningiæ Ducatus, & utraque simul Carellia. 4. Parlamentum residet *Dorpati* in Livonia, cui à totidem prospectum Assessoribus; sed quo referuntur ex sola Livoniâ atque Ingria. His subjiciuntur *Legiferi*, qui suos quoque habent Assessores. Hi in singulis territoriis suarum provinciarum intra triennium exercent judicia. Horum officium est in exercendis judiciis & decidendis controversiis ab inferiori fôro territorialium judicum ad se devolutis. Tenentur etiam, ut & alii omnes inferiores seculares judices, sententiarum à se latarum codices Regio Tribunali, sive Parlamento, circa initium Februarii quotannis revidendos sistere. Hi autem Legiferi sumuntur è Senatorum Regis numero, certumque habent salarium, quod provinciarum incolæ annuatim pendunt. Suntque hodie quatuordecim. Ad hos fit appellatio à judicibus territorialibus: coram quibus cum duodecim

Dorpatense.

Legiferi & eorum officia.

Legiferi unde leguntur.

decim Assessoribus è plebe, viris cordalis, est *prima instantia* ruri.

In Urbibus quo ordine jus exercetur.

In Urbibus prima instantia est in Curia inferiori, vulgo *Kaemerraet*; secunda coram Consulibus in Senatu Urbico: tertia, si res tanti momenti, in Regio Parlamento. In his Urbibus communiter quatuor sunt Consules. Horum *primus* ut plurimum dicitur *Regius*, qui Justitiæ principaliter præest. Huic concreditur Archivum cum privilegiis & statutis: ejusque curæ & directioni subsunt Templa, Scholæ, Nosocomia, Orphanotrophia & morum atque sumptuum censuræ quoad leges politicas. *Secundus* dirigit *Negotiationes*, Nundinas & mercium pretia; nec non ipsi Urbi de maturo prospicit commeatu. *Tertius* inspectionem habet *Artificum*, & quæcunque facta aliquâ sunt arte taxat. Pistoribus ac cervisiæ Coctoribus modum ponit ac leges. *Quartus* curat *Reditus civitatis*, observat mundiciem ac nitorem Urbis, ipsaque avertit incendia. Singulis istis Consulibus duo aut tres ex Urbis Senatoribus sem-

per

per adjunguntur Collegæ, qui quibuscunque hebdomadibus, extraordinariis nonnullis diebus ad consultandum seorsim conveniunt. Inter alia Suprema Collegia est etiam *Militare*, *Navale*, *Cancellariæ* & *Camera Fisci*. Quibus ultimò additur *Metallicum* quod certo respectu ad illud refertur peculiari instructione & statutis gaudens, erectum Anno 1637. Memorabile hic item est quod majorum quinque supradictorum Collegiorum Præsides in Regis absentia, morbo aut minorenni ætate, vel interregno, Regni Gubernatores sint, & Regii pupilli Tutores. *Alia per Sveciam Collegia.*

Nec desunt alia quoque magna in Regno officia, quæ ad majestatis faciant pompam, vel Regni decus aut utilitatem Coronæ. Estque in his *Regni Marschallus*, qui itidem unus ex Senatorio est ordine. Hic ceremoniis & publicis præest congressibus, nec non nuptialibus in solennitatibus, & in conviviis à Rege institutis omnes moderatur pompas. Excipit Legatos, & iisdem de cunctis prospicit necessariis. *Alia per Regnum officia.* *Regni Marschallus.*

riis. Juſſu Regis Senatum, vel arces ejus gerentes, per publicos convocat miniſtros. In Comitiis commune curat ſilentium, & poteſtatem dicendæ facit ſententiæ. Eos quibus jus comparendi nullum, per ſatellites eliminari jubet. Ipſam Regiam dirigit Aulam, omneſque impenſas inſpicit ac moderatur. Unde Aulicus ipſe Regis Marſchallus ut & Magiſter Aulæ, Magiſter item Stabuli, & quicunque cellæ culinæque Regiæ aut Stabulo ſubſerviunt, nec non Tribunus cohortis Aulicæ, quoad cerimonias & quotidiana miniſteria (alias enim à Militari Collegio dependent) parere tenentur, ne officium negligant, vel quid contra decorum admittant.

Armamentarius Regni. *Armamentarius Regni* ut ad Militare Collegium pertinet, à quo &, poſt communitionem factam, ſententias accipit; ita omnis generis arma, tormenta, pyrium curat pulverem, & alia quævis ad bellum neceſſaria proſpicit ac dirigit.

Archiſtabularius. *Archiſtabularius* ſtabuli & equorum Regiorum ubivis conſtitutorum ſummam gerit curam;

curam. *Venator* jura Venationis, vivaria, saltus & nemora ad Principis dirigit utilitatem: prospicitque juxta ne aves aut quadrupedes, nisi legibus definito tempore, capiantur; Ursorum verò ac Luporum, cæterorumque noxiorum animalium venatio, quam & antiquæ leges exigunt, ne negligatur. Arbores frugiferæ, ut mali, pyri, quercus, fagi, coryli & similes ne temere excidantur advertit. Sed hi ordinarie resident Stocholmiæ, nisi cum eas sua aliò postulant officia. In Urbibus & Provinciis, ut omnia ritè administrentur, mandata Regia exeqvutioni mandentur, interesse Coronæ non negligatur *Gubernatores*, *Castellani* ac *Toparchæ* resident. Quales sunt *Holmensis* in arce Regia, sive *Castellanus Stockholmiensis*, qui rurali provinciæ nulli præest; sed Arcis Regiæ Holmiensis structuras inspicit & urget aliaque ædificia Regia Holmiæ, cum muris ac tabulatis urbis. Is Urbi peculiari authoritate præfectus est, ut privilegia ejus tueatur, politicæ administrationi præsit: ædi-

Venator.

In Urbibus & Provinciis quinam Regis præsint nomine.

Castellanus Stockholmiensis.

ædificia, reditus & negotiationes, & quæ huc ſpectant dirigat atque promoveat: arma & exercitia militaria civium luſtret. Nec Regni Regalia in urbe diminui patitur, aut Rege inſcio, quidquam Fiſci reditibus decedere. Ipſe ſemper unus ex Regni eſt Senatoribus: adjungiturque ei Vice-Cancellarius ex Ordine Eqeſtri, qui in judiciis Urbanis juxta Conſules & Senatum Urbis præſidet, juſtitiæque exequutioni intentus eſt. Additur & Urbis Capitaneus, quem ſui ſequuntur ſatellites.

Vires & potentia Svecorum quæ.

Quæ ad *Vires* & *Potentiam* cujuscunque facere poſſunt Regni, hæc cumulatâ Deus manu omnia & ſingula huic contulit Regno. *Subditorum* hic in Principem *amor* & *benevolentia* nullius gentis cedit affectui, ita ut Reges ſuos in ipſo fovere videantur gremio; ſæpiuſque contigerit Reges in privati civis ſinum captandæ quieti tuto inclinaſſe caput, atque uno ſoloque comitante puerulo, vel rhedæ ſe ſui commiſiſſe ſubditi, vel cymbæ tranſvehendum. Si *Terrarum*

Subditorum amor & benevolentia.

ſpe-

spectes *Situm*, hoc si ullum unquam magis formatum fuit Regnum, Svecia certè firmatur. Universum siquidem imperium Baltico alluitur mari, ac reliquo cingitur Oceano, ubi ad plura altissimæ rupes milliaria, & latentia passim saxa, scopulique innumerabiles accessum ad littus, sine ductore indigena, ineluctabilem reddunt atque impossibilem. Cætera tecti nubibus contigui montes, saltus impervii, & amplissima rapidissimaque flumina, ne quid de ipsis Regni totius dicam meditulliis, quæ sylvis scatent, paludibus, amnibus & lacubus, montibus item, quos pro muris habere solent incolæ atque propugnaculis, quoties, irruente ex improviso hoste, se familiasque suas ac universam inde supellectilem iis commiserint, ex quibus & numerosum fame enecuerunt militem, & manus minoris hostem ad internecionem profligarunt. *Viros* si spectas & *Arma*, revoca in memoriam quot hinc olim susceptæ fuerint expeditiones, & quam late diffusæ gentes & vastissima occu-

Situs Regni impervius.

Arma Svecorum qualia.

occu-

occuparunt Regna & multas passim reliquerint colonias. Et hodie communibus cum Germanis, Gallis, Hispanis aliisque Europæis utentes armis non minus equites quam pedites pugnant, utrique bellatores optimi, ut qui nulli genti tractandi arma dexteritate cedunt,

Exercitus quantus. *Exercitum* nemo hic semper miretur magnum. Turmæ hic multæ, Ductores, Tribuni & Officiales alii publicis jugiter aluntur sumptibus: quin & Provinciarum, Ducatuum Comitatuumque numero cum vicinis certat regionibus. Minores, singulas nutriunt cohortes, Majores, pro qualitate rerum, binas etiam atque ternas, easque vel peditum, vel equitum, ita ut brevissimo temporis spatio triginta aut quadraginta millium peditum, equitum vero decem aut duodecim millium numerare quis facile possit: ne quid dicam de Nautis, quos ad sexies mille citissimè convocavit. Parata item struendis in Regno

Navalis potentia. navibus materies *Navalem* illius docet *Potentiam*, ut quod abundat trabibus, asseribus, tabulis, malis

cana-

canabe, ferro, ære, gummi & reliquis. Eſtque hæc Svecicarum navium gloria, quod firmiſſimo polleant robore. Quid de *pyrio* dicam *pulvere*, qui hic etiam à ruſticis optimè conficitur & copioſiſſimè? Quid de *Tormentis bellicis*? quorum tanta apud Svecos copia, ut Orbi non Regno ſolũ ſufficere queant [a].

Divitias ſi quis quærat? hæ tot ac tantæ in hoc ſunt Regno, ut admiratione ſuſpicere, & ſtupendam Dei in hæc borealia loca benignitatem tacitâ gratitudinis veneratione ſit proſequi facilius, imo æquius, quàm vana oſtentatione ob mundanam exaggerare gloriam. Sveciæ ad ſuſtentationem & neceſſarium vitæ humanæ uſum natura negavit nihil. Si ſuſpicias *Aërem*, is omnis generis volucribus renitet, Tetraones hic, urogallos, etiam minores attagenes, perdices & ſimiles conſpicies in deliciis habitas: Olores item, ſeu cygnos, fulicas, querquedulas, anates, anſeres, ſturnos, palumbes, turtures, turdos, palumbes, & ſimiles. Si rimeris

a *Philip. Honor. In Relat. de Stat. Regn. Svec.*

Divitiæ Svecorum.

Aquas,

Aquas, copiosa piscium caterva in mari, in lacubus, in fluviis occurrit ac stagnis, quæ non necessitati modo, sed & ipsis abunde sufficiunt deliciis. Si intuearis *Solum*, lætissima pascua, agri fertilissimi, pecudum numerosæ greges; quin & ipsæ sylvæ variis scatent feris, cervis, damis, leporibus atque cuniculis. Alias *Sylvarum* utilitates divitiasque quis efferat? Laudant Cydonia alii poma, Aurantia alii. Sveci ex sylvis suis domos, palatia, templa, naves ædificant. Hinc tegendis cortices ædibus; hinc asseres, tabulas: hinc vasa & quotidianis instrumenta usibus apta petunt & conficiunt: hinc picem, oleum & medicinam hauriunt; quæ omnia vel una Abies, quæ alias vilissima videtur arbor, hic frequentissima, præbet: ne quid de quercu & fago, dicam, unde innumeræ magno suo cum emolumento saginantur greges. *Montium* si quis scrutetur viscera, argenti hic, æris, ferri omniumque metallorum ac mineralium inveniet thesauros, qui

Stupenda rerum omnium

In Svecia quique sylvarum usus?

Fertilitas montium.

qui non ad solius Sveciæ faciunt usum, sed & aliis multis subministrantur regionibus. Reliqua ita compendio describuntur. *Sveonia ergo fertilissima, Ager fruge ac melle opimus, extra quod pecorum fœtu omnibus antefertur: opportunitas fluminum sylvarum magnaq; ubique peregrinis mercibus omnis regio plena. Nullis egere dicas Sveones opibus, exceptâ, quam nos diligimus, sive adoramus, superbiâ. Omnia enim instrumenta vanæ gloriæ, hoc est, Aurum, argentum, sonipedes regios, pelles Castorum & Marturum, quæ nos admiratione sui dementant, illi pro nihilo ducunt* a.

Genuina Sveciæ descriptio.

a *Adami Bremensis*

Cæterum Urbes pro tanti regni amplitudine pauciores sunt. Causam arbitrantur nonnulli soli ac terræ esse genium, ut quid larga ex singulis manu cuncta tribuit incolis quæ ad quotidianum sufficiant usum, nec peregrina cupit commercia, quorum beneficio oppida & civitates alibi frequentiores esse solent, in quas suas alienigenæ exponere merces solent, ut illinc in vicinas distrahantur

Quare Svecia urbibus non frequens?

partes, quæ alienigenis vel destituuntur deliciis, vel suis sibi non sufficiunt proventibus. Sunt qui putant Urbium hanc raritatem gentis adscribendam indoli, quæ etiam in singulis ex plebe stupendis pollet inventionibus, adeo ut ad subtilissimas subinde artes quisque maxime reperiatur idoneus. Nam quæ privatis serviunt usibus hæc adeo ubique omnibus frequentata, ut peregrini stupeant omnes omnibus in una eademque domo cunctas fere exerceri artes. Singuli sibi calceos, ocreas vestesque ruri conficiunt. Fabrilia singuli, currus & aliam parant supellectilem. Ferreas ipsi soleas equinis aptant calcibus. Ipsi cervisiam, mulsum & suum sibi conficiunt vinum. Unde fit quod sua quisque haud destitutus arte minus publicos civitatum curet congressus. Quamvis ipse item locorum situs multum ad id faciat, quod in hoc regno minus frequentia sint Emporia, maxime ad extremam Septentrionem sese porrigentibus. Hi siquidem agricultura,

tura, piscationibus, venatione, nec minus bello atque militia exercentes, innato quasi studio, civicas & fugiunt delicias, &, si quando fortasse in illas incidant, easdem non nisi cum fastidio excipiant, tanquam naturæ suæ nequaquam convenientes. Aliquas tamen Urbes antiquitus etiam fuisse, easque optime constitutas priscæ leges municipales de Urbium constitutione, policia & negotiationibus rite exercendis, ut & ipsa sufficienter demonstrat historia. Nos hic de iis tantum agemus quas præsens fert seculum, ordinem sequuti non series earum quæ in Holmensibus Comitiis *A.* 1640. die. 26. Januarii est confirmata; sed quam singularum provinciarum usus feret.

Antiquitus plures in Svecia fuerunt Civitates, quam nunc.

Historico-Geographica REGNORUM DESCRIPTIO.

Scandinaviae divisio.

REGNA Scandinaviæ, quæ suis latissimè diffusa diximus latifundiis, hodie in se continet *Sveciam*, *Laplandiam*, *Gottiam*, *Finlandiam*, *Ingriam*, *Livoniam*, & quæ nuperrimo accessit bello *Scania*, cum adjectis ex Danico Regno *Insulis*, quas singulas Regnorum partes suo persequemur ordine.

SVECIA presse dicta à Dalekarlorum Albi, vulgo *Elff*, ad sylvas *Kalmarder* inter gr. 58. & 61. borealis latitudinis jacet. Separant illam à Norvagia *Trolketta* fluvius & *Sevones* montes. *Veter* lacus cum *Motala* fluvio à Gothia. A Finlandia mare fluviusque *Kimi*, qui intimo miscetur Bothnico sinui. Est quasi centrum Regni. Jacet inter Mare Balthicum, Gothiam, Wermiam, Dalecarliam & Gestriciam. Sveci valent ingenio. Latine,

ne, Gallicè, Germanicè plerique loqvuntur, & cum genuina quidem pronunciatione, prompte & articulatè. Olim patriis utebantur litteris, quas *Rumas* appellabant. Exteri Gothicas appellant litteras. *Ansgarius* Corbeiensis Monachus, primus, cura Ludovici Imperatoris, illuc missus gentis fuit Apostolus. Is ejusmodi litteras omni modo abolere studuit: quod & asseqvutus est, suffectis latinis in locum elementis. Hinc fit quod prisca regni cum litteris perierint monumenta. Usus abolendarum erat litterarum, ut nefariæ juxta ex hominum animis delerentur superstitiones, quod fieri non posset, quamdiu illæ in scriptis legerentur. Contra externi hostis irruptiones Svecia probe munita est, quem inaccessis montibus, aut scopuloso & importuoso mari facile arcet. Regionem ipsam partim montium capita asperant, fluentes partim & stagnantes aquæ locis innumeris abruptam relinqvunt. Hodie dividitur in *Sveoniam* & *Nortlandiam*.

Ansgarius Svecia Apostolus.

Priscæ Svecorum litteræ abolitæ & quare?

Svecia arcendis hostibus accuratissima.

SVEONIA.

Sveonia qualis Regio. SVeonia non omnibus quidem locis plana est, sed, præfer in septentrionalibus occidenta busque partibus, montosa & vosa; at qui interim montes n omnes impedimento aut det mento colonis. Hæc *Sveonia* it *Sveonia Divisio.* rum dividitur in *Uplandiam*, *We mannam*, *Dalecarliam*, *Nericiam Sudermanniam*.

Uplandia unde dicatur, & illius situs. *Uplandia* dicitur à situ, quo cæteris Sveciæ provinciis excelsio sit. Ab Ortu mari Balthico, ad Meridiem nobili lacu *Maller*, ad Occidentem flumine Savo, ad Septentrionem Dalecarlo limitatur. Re- *Fertilis.* gio frugum fertilitate præstantissima, & horreum totius Sveciæ : sede Regum & multis aliis opportunitatibus clara. Longa est 23. mill. Lat. 18. Cælo fruitur temperatissimo, agros camposque latissimè pandit. Lacus habet ut plurimos, inter quos præcellit *Mellerus* piscatione ditissimus, & frequentissimis refertus insulis. Fluvii vicinos speciosè rigant agros, ac innumeri pul-

pulchrè scaturiunt Fontes. Nec desunt. Mineræ, ferri præsertim & plumbi, & alicubi etiam argenti, tametsi non adeo divites Uplandia dividitur in tres partes, distinctis quondam suis claras Regibus, quæ *Folcklandiæ* appellantur. Suntque *Tiheundria*, *Athundria*, & *Fiedrundria*, omnes à præfecturarum dictæ numero, in quas ipsa abierat provincia. Unde colligere licet primorum, qui huc advenerant, colonorum familias per Centurias distributas fuisse, atque inde præfecturarum cognomina in hodiernum usque mansisse diem. Et invenias qui conjecturam capiant bis millenas ducentenasque in primorum huc adventantium exercitu fuisse familias. In reliquis autem provinciis ejusmodi præfecturæ appellari solent *Häroth*, ab *Har* quod *exercitum*, & *Odh* quod *possessionem* significat. Unde opinantur, postquam in Uplandia supra regionis capacitatem populi excrevisset multitudo, conscriptos primum fuisse exercitus, novasque sibi sedes quærere jussos, locumque ubi

Uplandiæ Divisio.

Occasio Divisionis & Nominum.

Numerus familiarum Regionem occupantium.


Occasio appellatarũ à nominibus suis Provinciarum.

confederant occcupantis ex
tus nomine dictum, ut *Dageh*
&c. Insignis hic censetur C
tatus *Ortala*, ubi egregiæ
coluntur mineræ, ut & ant
Arx *Orbystatt*. Uplandia urbe
bet præcipuas *Holmiam*, *Upsa*
Singtungam, *Cnecoppingam*,
grundam, *Nortalgam*, & *Ost*
maram.

Ortala Comitatus.

Holmia Regum Sedes.

Holmia ubi hodie est, sub
num Christi millesimum & s
gesimum, contra Moscorum
cursiones, ad ostium Meller
cus in mare influentis, ædifica
ni arcis locum insula præbuit.
die dicitur *Stockholmia* prim
Uplandiæ & totius Regni civi
Regum sedes & Emporium lo
celeberrimum. Suburbia h
duo, Australe in peninsula *T*
Boreale in *Attudia*. Utrumque
urbe junctum subliciis pont
versatilibus, quorum opera
mari in lacum, & vicissim na
ultro ciroque commeant. Sita
in Lat. gr. 59. m. 15. in Long. g
m. 30. Exstructæ primæ illius
cis loci fecit opportunitas, ut



no millesimo ducentesimo atque sexagesimo à fortissimo Heroë *Birgero Ierl*, Regni Svecici Administratore, Regis *Erici Balbi* affine, Regis Woldemari Magnique *Ladulas* parente, dicto loco in Urbis abierit structuram, quam duo utrinque *Melleri* ostia ingentes affluendo & refluendo circumrotantia cingunt. Australe à *S. Olao* Norvegiæ Rege apertum traditur. Boreale truncis & trabibus, ad avertendas hostium incursiones antiquitus clausum Urbi nomen dedit. Nam *Stock* truncum, seu trabem significat; *Holm* autem minorem denotat Insulam. Urbs medio inhæret flumini: à fronte & à tergo amænam habet paludem juxta latera rapidissimo decursu præterlabentem. Utrique aquarum margini spatiosa sese opponunt suburbia, quæ haud exiguam Urbi conciliant elegantiam. In Urbe altis, ritu antiquorum, muris cincta pulchrè ædificia: plateæ omnes elegantes, & alta lapidibus constructa templa; in Suburbiis autem ligneæ, ac quæ raro

A quo extructa.

Unde dicta Holmia.

Suburbia.

duorum tabulatorum adæquant altitudinem. Ædes & ædificia multorum sunt millium. Hominum inibi habitantium multitudo ingens & diversitas. Invenies hic Svecos, Gothos, Fennos, Livonos, Germanos, Pomeranos, Mecklenburgenses, Westphalos, Saxones, Svevos, Scotos, Anglos, Irlandos, Gallos, Belgas, Moscos. Rerum hic ac mercium tanta omnium affluentia & abundans copia, è reliquis Sveciæ urbibus per lacum *Meller* & terrestribus aliis confertur itineribus, ut in universo Septentrione parem huic frustra quæsiiveris. Unde fit quod, invalescentibus in dies negotiationibus, urbs quoque crescat, ac ipsa dilatentur pomœria: adeo ut nunc longe lateque extensa non tantum per antiquam insulam & primariam sedem ponteque annexam minorem, sed aliis quoque vicinis locis splendidissimis Illustrium reniteat palatiis, præcipue illis quæ *Ridderholmen* dicuntur. Quibus augendis quod Majores nostri inter impossibilia reputassent,

Ædes & ædificia.

taſſent, immenſum Brunckonis montem induſtria adjecit anguſtiſſimæ Reginæ nuper Chriſtinæ cura, quem totum in ſpatioſiſſimas complanavit plateas: ne quid de Nautica dicam inſula, vulgo *Skeptsholman*, ubi Claſſis ſtatio. Palatia hic paſſim videre licet inſignia Regum, Principum, Magnatum, Aulicorum, civium & aliorum Mercatorum, quæ omnia habendis utiliſſima Comitiis. Urbs cum ſuburbiis olim quinque habebat templa; quibus Rex *Joannes* tria poſtea addidit, exinde quod accreſcenti hominum multitudini priora quinque non ſufficerent. Portus alteri laterum urbis proximus magnas & latas quaſcunque naves haud exiguo recondit numero, lucroſamque incolis efficit negotiationem, toto mari Balthico decantatam, ac ipſum ingredientem Oceanum. Exteri mercatores hanc ſalis, vini, aromatum, ſerici aliarumque quarum hæ regiones indigent, mercium omnium participem reddunt abunde: indeque auferunt quibus ipſi opus habent;

Palatia Holmienſia.

Portus.

Merces Sveticæ.

ferrum, cuprum, chalybem, plumbum, pisces, carnes resque alias, quibus Regnum hoc magis quam ulla abundat pecunia. Arx ipsa Regia tanti est spatii, ut duabus Regum aulis complectendis sufficeret. Triplex hic ædificium quodvis suas habet areas, conclavia & cænacula admodum elegentia. Tota undique validis & quadratis undique altisque cincta turribus: inter quas ea, quæ ex media eminet arce, octo vel novem contignationum, triginta & quinque habet tormenta per sua tabulata in omnes partes disposita. Templum tegit cuprum & turres, quod toti ædificio incredibilem conciliat splendorem, quem ipsæ aliæ multæ in infinitum turres augent. Major illa & cæteris eminentior magnifico superbit fastigio, tribus deauratis ornato coronis, ac sibi mutuo impositis, quæ longissime etiam remotis in conspectum cadunt, ac Regni Sveciæ notant insignia. In ipso arcis templo majore à Rege Joanne condito decem marmoreæ conspiciuntur colum-

Arx Regia.

August. Liber. Baro. Moersp. in suo Itiner.

Templi magnificentia.

lumnæ ex Finlandia eo delatæ. Ex albo Altare marmore pluribus in locis deauratum cum multis ſtatuis. Arx tota pluribus inſtructa conclavibus, aulis, diætis, tricliniis, xyſtis, porticibus & ambulacris, quorum plurima operum pars aureo obducta colore; inter quæ tamen longa illa in veteri ædificio viſu digniſſima eſt aula. Centum inde paſſibus novum viſitur palatium à Rege Joanne erectum & habitatum quondam. In hoc conclavia miræ elegantiæ, & aula imprimis plus quam centum paſſus longa, firmiſſimo tecta tabulato, quod puro obductum argento omnis generis refert hiſtorias, & pleraſque deauratas oſtendit imagines, opus admirabilis totum artificii. Lancinæ quæ illud tegunt argenteæ ſunt ſatis craſſæ. Parietes ex auro & argento contextis velantur tapetibus, qui ſerico commixti omnes vel ex Bibliis decerptas narrant hiſtorias, vel depromptas ex Ovidio referunt fabulas: talibuſque aliis aulæis Regii conclavis proximi

Palatium novum à Rege Joanne extructum.

Pavimentum palatii. ximi vestiuntur parietes. Pavimentum ex cupro, in lapidum effícto speciem, admirabili colorum adornatum opere. Ex ea intrare licet porticum satis latam, & centum passus longam: quadratam inde turrim, quæ grande continet sacellum cum duobus conclavibus, in quorum uno, ad dextram Rex, in altero autem, ad sinistram, Regina suas audiunt conciones. Sacellum alto constat marmore: & in magno altari argentea crucifixi Christi cernitur statua, quæ humanæ respondet staturæ. *Bibliotheca.* In utroque porticus latere pluteis & pulpitis suis elegantissimi incumbunt libri: sellæque adsunt perpulchræ, quibus insidere possunt lecturi. In utroque latere quadraginta ex crystallini vitri orbibus constantes mirè pellucent fenestræ. Tales etiam in templo, aulis & conclavibu suam hauriunt lucem, ex quibu Regi non in campos modo & ma re; sed etiam in arcem ipsam u bemque totus patet prospectus etiam, tam cum ipse à nemi conspici possit. In priori porro m joru

jorum tormentorum æneorum minorumque, duplariorum, colubrariorum & aliorum ejuſmodi, quorum opera & vi multæ Moſcovitis extortæ ſunt munitiones & civitates, ingens eſt multitudo. In campo conſpectui ſe offerunt domus & horti Regum delectationi recreationique deſtinati. Horto pulcherrimæ adornato contiguum eſt vivarium cum nonnullis exſtructis ex ligno ædificiis, in quibus Leones, leopardi, urſi aliæque conſpiciuntur feræ & aluntur. Schola itidem hic eſt & illuſtre Collegium. Adeo ut nihil ad decus & ſplendorem tantæ Urbis deſideretur. In ſumma. *Vivarium.* *Schola & illuſtre Collegium.*

Holmia *naturæ mirandum pignus & artis,*
Urbs quâ nulla ſalo commodiore loco.
Tu ſedes Regum, trucibuſque invicta tyrannis,
Mercibus exundans, Juſtitiaque forum,
Tu Regina velut reliquas caput exeris inter
Urbes. Imperii flòreat hocce decus.

Adi

Ad reliquam Urbis tutelam ac defensionem tribus ad Ortum milliaribus turris facit *Waxholm*, ut & alia è regione *Tigna*, quæ aditum ita custodiunt, ut sine excubias illic agentium voluntate nemini facile cuiquam penitius accedere ad urbem liceat: ne quid dicam de scopulis, aut rupibus, quas vulgo *Scheeren* appellare solent, quæque longo Urbi prætenduntur tractu. Has juvat hic verbis describere ejusdem gentis authoris *a*: *Navigando à Germanico mari versus Septentr. &c. antequam introitus appareat ad Regiam civitatem Holmensem Regni Sveciæ, occurrit mirabilis portus* Hielmsneblen *vel* Eixnablen *appellatus, ubi montes ita videntur à natura formari, ut galeæ militares videantur insculptæ. Is portus ad omnes ventos & potestates arcendas insignis est, ut vix similem in tota Europa habeat. At si littus aut portum quis exierit, cæca saxa rupesque minaces apparent; si vero in apertum mare exire voluerint, obstat horrenda tempestas ne visu quidem ad ictum oculi toleranda; quia Aquilonaris Orientalis-*

Turres Waxholm & Tigna.

a Olaus. Magn. l. 2. c. 27. & 28.

que

que ventus eo in loco totaliter est procellosus. Præterea tempore hostili terrarum incolæ littoralia subtrahunt signa, ne hostis accipiat ne tantillum quidem spatium ut effugiat pœnam. &c. Sunt præterea non exiguæ formidinis angusti exitus & introitus æquoris Aquilonaris, præsertim ab aperto mari navigando versus Holmensem civitatem. &c. præcipuus tamen, & periculosior est locus Steendor. *i. e porta lapidum appellatus, eo quod arctis faucibus & lunatis cornibus quoquo versum obliquatur, id est quandoque per modum Scythici arcus, quandoque mucronis aspectu evitatur à nautis, in quibus longè periculosius, ob exortas densissimas nebulas & caligines errare contingit, quam in amplissimo Oceano suborta validissima tempestate. Nec procul ab eo sinu saxosæ rupes imminent sub aquis latitantes, in quas quicunque inciderint, quasi vivi sepulchro teguntur.* Item porro ita scribit *a: Exiguo ab urbe Holmia intervallo locum offendi inter rupes* Rundisvaliam *vulgariter, rotundam voraginem, aut fauces rotundas aquam absorbentes nuncupatum, cujus fundus reperiri non possit.* Item *b. In portu Holmiæ ipso tempestatem adeo horridam quandoque exor-*

a *Olaus Magn. eod. lib. cap. 12. p. 57.*

b *Idem lib. 12. cap. 12.*

exoriri, ut etiam maximæ, & maximis divitiis onustæ, & ad exeundum paratæ naves momento citius fundum petant, adeo ut ob profunditatem nimiam præter mali apicem, & veli summi particulam aliquam nihil appareat. Fama communis est, voraginem illam auri, argenti, cupri, ferri, pecuniæ, merciumq; deglutitarum plus continere, quam ditissimæ urbes, aut arces contineant. Sed hac nostra ætate sine anchoris naves ab omni tempestatum hostiliumque invasionum periculo tutissimam stationem habere feruntur. Anno 1594 *Sigismundus* Poloniæ Rex hos scopulorum anfractus paucorum dierum spatio superavit *a*. Superioribus item temporibus *Esthlandi*, *Moscovitæ*, *Russi* & *Thavestii* scopulosos illos anfractus penetrantes inopinatis sæpè Svecos & clandestinis oppresserunt invasionibus *b*.

a *Chytr. lib.* 30. *Saxon. fol.* 893.

b *Olaus Magn. l.* 9. *cap.* 39.

Ubsalia à quo condita, & unde dicta.

Ubsalia Holmiæ succedit proxima, ut septem tantum ab illa milliaribus distans. Urbs antiquissima, à quinto filiorum Magogi *Ubbone*, ut perhibetur, ad *Salam* Uplandiæ flumen, Anno mundi 1903, ante tem-

tempora Patriarchę Abrahami, loco fertilissimo atque amœnissimo fundata. Hic non modo priscorum idolorum cultus viguit, sed & antiquissimorum Regum sedes fuit, & ab ea Ubsaliæ Reges dici voluerunt. Qui in quodam Urbis hujus campo, ad grandem aliquem lapidem, vulgo *Morasteen* dictum, in innumerabili hominum præsentia, postquam se religionis defensioni sacramento obstrinxerunt, sacris adhibitis ceremoniis, ab Episcopis confirmari solebant. De quo ritu proferre hic licet quæ *Joh. Isaacus Pontanus* scribit a: *Moris fuit antiquitus, ut peracta Regum Sveciæ designatione, & annus & dies inaugurationis, nomenque Regis lapidi, qui* Morasteen *vulgo dictus, extra civitatem Ubsalensem, ad unum milliare in plano campo situs, incideretur ad perennem rei memoriam. In quo & super quem* Reges *Sveciæ de novo electi, statim post eorum electionem, etiam consveverunt ab antiquissimis temporibus sublimari & intronizari, ut loquitur Notarii publici instrumentum, quod produxit* Joh. Mes-

Lapis Morasteen.

a Rer. Danic. l. 9. p. 526.

Messenus Svecus, *in paraphrasi Theatri Nobilitatis Svecanae* a. Cæterum de ipsa Ubsalia *Pontanus in Hist. Sveciæ* Archiepiscopalis, inquit, sedes est. In media Uplandia, & fluvii Salæ in paludem *Veckelen* labentis ripa, loco plano & amæno insidet. Sedem hanc Archiepiscopalem celeberrimum Cathedrale ornat templum, inter omnia Svecorum pulcherrimum *b*, cupro ubique tectum, ac turribus multis ornatum, monumentisque Regiis multum famosum. Inter quæ memorabile illud *S. Erici* Regis, in quo arca argentea deaurata, olim aurea tota, ut ferunt. Imaginum elegantia eminens propter grande altare longa & grandi catena aurea circumdatum. Supra monumentum corona Regia ex argento puro, olim ex auro puro, ut perhibetur, multis gemmis pretiosis amæno radiantibus splendore distincta pendet. Post altare Sacellum Regis *Gustavi* monumentum continet. Staturam vivam imitans ejus statua ex marmore albo, altior aliquantulum, inter

a p. 108. *Vid etiam Ioh. Magn. lib. 21.*

b *August. lib. Bar. in Moerf. Itinerar.*

Monumentum S. Erici.

Sacellum Regis Gustavi.

inter duarum uxorum ſtatuas ſupina jacet. Monumentum ipſum multis imaginibus & hiſtoriis plurimis in locis deauratis præclarum eſt. Circa monumentum Regis ac utriuſque Regis inſignia artificioſè ſculpta cernuntur. Juxta & ſupra idem appenſa multa Equeſtria vexilla cum inſignibus principatuum & Regionum ad Regnum Sveciæ pertinentium circa monumentum depictis, ac tota Regis Genealogia. In ejuſdem templi ſacello alio ſubjicit ſe oculis monumentum uxoris primæ Regis *Joannis*, quæ *Sigiſmundi* III. Poloniæ Regis mater fuit. Monumentum elegans ex albo marmore totam ad vivum repræſentat. Supra monumentum conſpicitur aurea corona tota deaurata. In alio Sacello quieſcit Comes *Steno Leewenkoepf*, militiæ Dux gladio confoſſus Holmiæ in cæmiterio à ſatellite, cum *Carolum* Ducem comitatus *Ericum* Regem in exitu templi capere vellet. Porro in hoc templo multi Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique magni nominis Viri ſuis reconditi

Monumentum Uxoris Regis Johannis.

jacent

jacent monumentis. *S. Brigittæ* item pater, Vir generis & nominis magni. Supra civitatem in colle eminet pulcherrima Arx & munitio, ædificari cæpta à Rege *Erico*, ut & à Regibus *Joanne* & *Carolo* continuata. Hanc Italorum more elegantissimam magnificentissimis adornari structuris alii curaverunt, quod prospectu admodum amæno circumjacentem undiquaqve regionem prospicientium subiiciat oculis. Templum, aulas, cænacula & conclavia insigni adornata continet artificio. Ipsam Urbem amænus alluit fluvius, qui sub eà aliquam efficit paludem, cujus collectas iterum aquas per alveum, suis frequentem anfractibus, inter scopulos ac montes Holmiam demittit, unde in mare egreditur. De Templo hoc Cathedrali auro olim refulgente legi possunt alii [a]. Habet locus hic nobilem etiam *Academiam*, cujus primus ortus Collegium tantum fuit quatuor tantum Professorum, vivente tum Archiepiscopo *Ierlero*, cum Regno præesset *Ericus Balbus*. Ex hoc postea auctis

[a] *Olaus Magn. l. 3. c. 6. Alb. Crantz. in præf. lib 1. Svec. & Ol. Worm. l. 1. Dan. Mon. c. 3. Chytr. lib. 11.*

Academia Ubsaliensis & ejus privilegia.

auctis omnium facultatum Professoribus, constituta est Academia, singulari privilegio, eodem videlicet quo Academia Bononiensis à *Sixto IV* Pontifice, Anno 1476 donata. Hæc sæpius ob temporum injuriam dissipata, tandem anno 1595. à *Carolo IX.* satis liberaliter tum privilegiis, tum & reditibus cumulata pristinæ conditioni restituta est. Inde Rex *Gustavus Magnus* singulari, quo erga litteras litteratosque flagrabat amore, ejusdem Academiæ privilegia, Professorum stipendiariorumque numerum ita auxit, ut cuivis in Europa Academiæ par esse possit: atque ne incertis reditibus suffulta rursum contabesceret, singulari liberalitate, anno 1624. magnæ rei annuos sufficientesque destinavit sumptus, ex propriis allodialibus paternis bonis, quæ omnia Regio diplomate in perpetuam Academiæ possessionem assignavit, eodemque privilegio, quo Nobiles in hoc Regno allodialia sua possident bona, dotavit. Paternam hanc munificentiam imitata

Gustavi Magni in Academiam animus.

Christinæ Reginæ in

Academiam munificentia. tata incomparabilis Heroina *Christina*, cum anno 1656. Holmiâ per *Moerhstan* & *Salneck* iter faciens huc veniret, & hinc ad æris fodinas in *Iesfel* proficiſceretur, inſigne adjunxit auctorium. Magna item in hoc urbe platearum amplitudo, proportio juſta, rectitudo, & ædium magnitudo, nitor & elegantia. In tumulis autem ad antiquam Ubſaliam, dimidio milliari diſtantem, Regiá in paganiſmo funera cremabantur. De hac Urbe jure ſcripſit *Wexion.*

En ego priſcorum ſedes Regumque Deorum.
Sacra mage & Muſas quam fera bella colo.
Ubonis *dicor velut Aula*, Ubſalia. Sala.
Quam ſecat & campus cingit ubique virens.

Westmannia. Altera Sveoniæ pars eſt *Weſtmannia*, quæ à ſitu ad Occidentem nomen traxit. Ad Orientem *Uplandia* eſt. Ad Auſtrum *Sudermannia* & *Nericia*. Ad Occidentem *Wermelandia*. Ad Septentrionem *Dalekarlia*. Inſigne habet tres montes

montes & quinque flammas in candido ſpatio evibrantes. Longa eſt 17. mill. Lata verò 14. Hæ fertilitate haud cedit Uplandiæ, atque fodinis metallicis longe ipſa ſuperior eſt. Argenti fodina hic locuples celebriſque in *Salbergh.* Ferri autem & chalybis ac cupri fodinæ paſſim ferè inexhauſtæ : nec deſunt etiam plumbi ſulphuriſque mineræ, quarum elaborationem non ſylvæ, non flumina magis, quam incolarum deſtituunt induſtria. Habet lacus, flumina monteſque proprios. Regias item varias atque Illuſtrium ſedes. Civitatum in hac præſtantior eſt *Aroſia*, vulgo *Weſteras*, ſede Epiſcopali temploque Cathedrali, Arce, illuſtri Gymnaſio atque celeberrimis nundinis maximè conſpicua. Inſigne habet litteram. A. Magnam hic videre licet cupri ferrique à montanis partibus allati copiam. Sunt qui putant Argenti quoque haberi fodinas. Ab hac Urbe *pactum* hoc, quo Regnum hoc Sveciæ Electivum factum eſt anno 1544, vel ut alii volunt 1543, Hæreditarium,

Ejus fertilitas.

Aroſia Sedes Epiſcopalis.

rium, denominatur *Arosiense*. In amæna hujus loci Arce *Ericus* captivus, filius natu maximus *Gustavi*, cui Regnum hæreditaria possessione tenendum decretum erat, vitam finiit, & in Urbis templo conditus est monumento, quod ferreis cancellis septum est, & ad pedem unum elevatum, nigrum velamentum Svecicis exornatum insignibus obducit *a*. In proximo pariete tabellæ aureis inscripta litteris hæc leguntur verba. *Translatum est Regnum meum, & factum est fratris mei & à Domino constitutum est ei.* Hocque Epitaphium ipse sibi poni voluit *Ericus*, ut quidam putant; sed & sunt, qui Regem hunc *Ericum* Orebroæ in Finlandia, anno 1578 captivum obiisse asserunt *b*. Unde patet defuncti cadaver huc esse translatum. Accubat ipsa Episcopalis hæc Urbs famosissimæ paludi *Meller*, & in templo Cathedrali magnos ostentat lapides Gothicis signatos litteris. *Svanto*, Regius Regni Administrator, mortem hic oppetiit suam anno 1512, quem in administrationis cura filius ex-

a *August.* lib. *Bar.* in Itiner.

b *Heldvaderus* part. 2. *Sylva* p. 205.

excepit *Steno Sture.* Anno 1520. Arcem Urbis occuparunt Dani. Sequente 1521, circa meridiem ipsius Pentecostes, validus *Christierni* II Danorum Regis hic cæsus exercitus & fugatus à *Gustavo Erici* Dalecarlûm Duce, primum, ac postea Rege *a. Gustavus* inde Urbe capta. Arcis item à Danis defensæ potitus est. Sunt qui Urbem à Danis incensam volunt anno 1521. *b.* Sunt præter hanc in hac provincia & aliæ Civitates ut *Arbogia* & *Kopping* iisdem mercimoniis, præsertim verò ferri, abundantes.

a. *Olaus Magn. l. 7. cap. 16.*

b *Heldvaderus.*

Vestmanniam excipit *Dalecarlia*, ita à convallibus dicta. Ducatus amplissimus. In Longitudinem habet milliaria 29. In Latitudinem 23. Orientale ejus *Helsingia* & *Gestritia*, Australe *Westmannia* & *Wermia*, Occidentale *Hennemarkia* Norvegiæ, & Boreale *Norvegici montes* claudunt. Insignia ejus, duæ in crucis morem locatæ sagittæ, cum aureâ Corona in candido campo. Westmanniam sequitur mineris, sed cupro eam reliquasque anteit. Stupenda hic videas quæ lucri cupiditas

Dalecarlia.

Stupenda fodinæ.

ditas in iis rupium viceribus, immensis & plusquam giganteis laboribus excauarit, pendentibus & ruinam minitantibus scopulis, horrida & non assvetis visu terribilia antra; quæ tamen assveti, ut opes irritamenta effodiant malorum, imperterriti adeunt. Reddit ea fodina una cum cupro & sulphuris, aluminis vitriolique plurimum. Aqua ex fodinis hausta ferrum in optimum cuprum mutat, ut quarta tantum ponderis pars ferro in mutatione decedat, si in tenuiores bracteas redactum fuerit: tertia verò parte idem ferrum minuitur, si crassiori ferro eadem affundatur aqua. Huic operi Regionem natura effinxit aptissimam, ut quæ tota sylvis amniumque frequens est scaturiginibus. Fert etiam & frumenta; sed quę laborantium non hic sufficiunt copiæ, ut qui metalla effodientes, ob assiduos labores & vigilias, cæteris solent esse voraciores. Regio item ipsa populosissima, in tres distinguitur partes, nimirum in *Osterdaliam*, *Westerdaliam* & *Sondaliam*. Fontes

Regionis divisio.

tes

tes habet suos, flumina, lacus, quin & montes etiam in quibus argentum, licet parcius, invenitur. Nobilium hic palatia nulla. Oppida sunt *Fablum*, *Hedemora* & quæ aliis præeminet *Idra*. *Regionis Oppida.*

Quarta Sveoniæ provincia est *Nericia* vel à situ, vel à divitiis ita dicta. Olim peculiarem habuit Regem. Ad Orientem *Sudermanniæ*, Ad Meridiem *Oostgothiæ*, ad Occasum *Westgothiæ* & Wermiæ, ad Septentrionem jungitur Westmanniæ. Insigne habet duas in candida planitie transversim positas sagittas, quatuor purpureis rosis exornatas. Situs hujus Comitatus, si computetur in circuitum, habet circiter milliaria viginti quinque. Lacum habet *Hielmer* Sudermanniæ communem, alios multos eosque haud ignobiles. Fluvios item peramænos, nec non sylvam fonte suo decantatam. Inter aulas Nobilium *Goetzholm*, *Kaeglcholm* aliasque nobilissimas. Regio cæterum tota argenti, ferri, sulphurisque venas habet, ut plurimas; sed argenti fodinæ, *Nericia. Lacus Hielmer. Fertilitas.*

 quia

quia alibi fertiliorum eſt copia, incultæ jacent; ſulphuris autem venæ hic multum ſunt lucroſæ. Profert etiam aluminis & vitrioli maximam copiam. Inſtrumenta adhæc ferrea & coquinariorum vaſorum apparatum reliquis abunde ſubminiſtrat provinciis. Oppidum hic unicum *Oreborg*, *Orebro* aut *Orebroa*, cum ſua arce munitum.

Oppidum Orebrog.

Quinta Sveoniæ provincia eſt *Sudermannia*, ab Auſtrali ſitu dicta. Ab Ortu diſterminatur *mari*, Ad Meridiem jacet *Kalmardia*, Occaſus verſum conterminantur *Nericia*, & Ad Aquilonem *Meller* lacus. Olim Regni titulo clara ſub Rege *Gramo*, qui unus fermè *Ingelli* Regis Ubſalienſis evaſit inſidias. Inſigne eſt Gryphus niger, expanſis alis in aureo campo. Longa eſt 29. milliar. Lata 16. Partes habet tres. 1. *Toeren*, quam *Meller*, in ſinum maris ad *Telgas* immiſſus, inſulam facit: aliæque minores non paucæ in mari circumſtant. 2. *Reckarna*, ad Strengneſium, frumenti bonitate & copia præſtat. 3. Com-

Sudermannia.

Ejus partes.

mune

mune nomen retinet. Lacus, præter *Meller* & *Hielmer*, qui regionem cingunt, potiores sunt *Olar, Wingåkersloo, Langhalsen, Ronwijck*, &c. *Lacus.*
Flumina Troosaa, & amnis Nycopensis in mare, ut Torsiliensis in *Meller* ruentes. Minora longè sunt plura. Sylvæ hic non adeò magnæ: sed fontes celebriores. Palatia Nobilium hic multa & Regiæ. Reliqua provincia suis non caret, iisque frequentissimus mineris. Frumenti quoque optimi, præsertim locis lacui *Mellero* conterminis, ferax. Civitatum præcipua est *Nycopia*, Sudermanniæ quondam Ducis sedes, priusquam Sveciæ Regno præponeretur. Hæc *Libero Baroni in Moersperg* ita describitur. *Arx Nycopiensis visu digna amœno incumbit solo, ac fluvio Salmonum aliorumque diviti accumbit. Navigabile flumen arcem parte sua circummeat, & in mare proximum descendit. Hic & aliis Svecia in locis grandes naves ædificatæ & onerate Ulyssiponam & Seviliam in Hispaniam mittuntur & exoneratæ ibidem venduntur. In Svecia navis ejusmodi* *Flumina.* *Arx Nicopensis.*

ædificationi ter aut quater mille imperiales impendendi: quæ in Hispania duodecim aut quindecim, in Italia aut Maltâ triginta millibus coronatorum vendi potest. Malus nonaginta, aut nonaginta quinque pedum duobus aut tribus emitur imperialibus; sed in Sicilia, Malta, aliisque ejusmodi locis, centum aut ducentis venalis est. Cæterum *Nycopla* ipsa non magna est, & aperta quidem, sed pulchra. Situs loci ejus assignatur ad amœnum apertique maris brachium. Est item Emporium totius Regionis primarium. Arx ipsa structuræ magnificæ elegantia mirum in modum se effert. In hac Rex *Brogerus*, anno millesimo trecentesimo atque decimo octavo fratres suos admodum excepit magnificè, & ut hospites laute habuit; sed noctu expergefactos & inhumaniter ex lecto extractos in profundissimam totius arcis turrim vinctos conjecit. Post abitum Regis arcem amici, cognati & ministri Ducum circumsedêre. Sed mortui interea Principes *Woldemarus* & *Ericus* fame & dolore con-

confecti: quorum *hic* aliquot vulneribus læsus, quod se invadentibus opposuisset armis, ut vix ad tertium diem vixerit; *ille* vero undecimo tandem die vita orbatus. Arcem deditam obsessores dejecerunt, & funditus deleverunt *a*.

Hacce novum referat quamvis Nicopia *nomen*.
Urbs perquam florens non tamen ipsa nova est.

a *Joh. Magn. l. 20. Histor. Regno Septentr. & l. Isaac. Pont. l. 7. Rer. Dan. fol. 423.*

Altera Sudermanniæ civitatum est *Stregnesia*, sedes Episcopalis. *Stregnesia.* Meller paludis aut lacûs margini adjecta. De hoc scribitur, antiquis temporibus ab Ethnicis idola ibi culta, & strenua ab Heroibus, athletis & Gigantibus commissa esse certamina, loquentibus id magnis lapidibus ex campis & montibus in templorum parietes translatis, & scriptura Gothica Gigantum ac Heroum facinora exhibentibus *b*. Tales in Arosiæ, vel *Westeras*, templis etiam inveniuntur *c*. Palude Meller glacie obductâ in fine Februarii mensis annuus mercatoris in ipsa celebratur glacie prope urbem. In templo Urbis Cathedrali monu-

b *Olaus Magn. l. 7. cap. 24.*
c *Idem. lib. 4.*

mentum suum erexit Rex *Carolus* IX. Ejusdem Archidiaconus tempore Regis *Gustavi* fuit. *Laurentius Andreæ*, qui cum *Olao Petri*, *Laurentii B*[illegible] Archiepiscopi Ubsaliensis fratre Augustanam in Svecia professionem strenuè promovit, haud parum adjumenti ad id conferente dicto Archiepiscopo *Joannis Magni* successore, ut qui cum fratre sacra Biblia ex Germanica Lutheri versione in Svecicam transtulit linguam anno 1647. Episcopus Urbis erat Doct. *Johannes Matthiæ*. In marmoreis templi monumentis Principem & Magnatum quorundam mortales quiescunt exuviæ. Habet item scholam & insigne Gymnasium.

Telga. Tertia Sudermanniæ civitas est *Telga*, Urbs mercatoria. Hic maximi lapides à quadrata basi sensim in cuspidem desinentes, ac piramides appellati, haud multum ab Ægyptiis abludentes, Gotticis conscripti litteris cernuntur. Hic Telgæ anno 1367 ab Ubsaliensi Episcopo 17. *Birgero Gregorii* Concilium contra fæneratores est habitum,

bitum, & alios frequentatos in Regno errores. Sunt & aliæ in hac provincia non ignobiles civitates ut *Torsilia* & *Trosa* non contemnendis gaudentes mercimoniis. Ex quibus *Torsilia*, à *Torg*, quod *forum* & *Hala* rupem significat, in qua fundata est. Oppidum est ad marginem lacus Meller situm. Gaudet insigni flumine, ut & molendinis & aliis commoditatibus. Insigne habet S. Olai effigiem throno insidentis, & securim manu tenentis. *Torsilia.*
Trosa in Monasterium primum Carthusianum fuit institutum anno 1491 à *Stenone Sture* Sveciæ Regni Gubernatore, quondam sine liberis defuncto. Hujus exuvias successor ejus *Suante Nielson*, vel *Suanto Nielsen* anno 1504. ex Nobili & Mareschallo Regni Administrator factus, post Holmiæ Arcis oppugnationem in hoc cœnobium deferendas & honestæ sepulturæ mandandas curavit. Ipse postea anno 12 seculi decimi quinti fato functus *a*. *Trosa.*

a *Hellvaderus p. 2. p. 12.*

NORTLANDIA.

IN specie dictæ Sveciæ pars altera, quæ opponitur Sveoniæ, est *Nortlandia*, ita exinde dicta quod Sveoniæ ad Septentrionem adjiciatur. Hęc ad littora magis habitatur. In meditullio communibus gaudet cum Svecorum commodis; ut ex descriptionibus singularum patebit partium, quarum potissimæ sunt *Gestricia*, *Helsingia* &, quæ sequitur *Medelpadia*, *Angermania* & *Laponia*, de quibus seorsim.

Gestricia. *Gestritia* ab hospitalitate ita vocatur. Ortum ejus claudit *mare*, Meridiem flumen *Elf*, Occidentem *Dalecarlia* & *Helsingia*, Septentrionem. Est Comitatus insigne habens Alcem inter novem globulos in scuto candido. Regio ipsa patet in Longitud. mill. 12. in Latitud. mill. totidem. Ab Helsingia dirimitur silva *Oedemord*. Regio ferri mineras habet, & ad colonorum sustentationem abunde ministrat frumenta: quas habet reliquas merces ad vicinos suos Cuprimontanos magno divehit cum lucro. Lacus


cus præcipuus hic *Hamarſion*. Flumen *Haſunda-Elf*, & Oppidum non ignobile maritimum *Gevalia*. *Gevalia.* Urbs alias antiqua, navigationibus & cujuſvis generis mercimoniis plus ſatis nota ac frequentata. Locus ad ſinum illius maris perquam opportunus, ex quo merces quæcunque exportantur & importantur facillimè. A longiori Cuprimonte haud longius quam ſeſquidiei diſtat itinere. Mediam ingens dividit flumen, magnis duobus ſtratum pontibus, quod mare ingrediens amæniſſimam amplectitur Inſulam *Altraholman*. Dimidio ab hinc miliari inſigne in mari occurrit propugnaculum, ut & quatuor inde milliaribus *Elffkarby*, binis quotannis nundinis clariſſimus locus, nec non Oculatarum & Eſocis capturâ, amplo flumine & cataractâ celebris.

Helſingia olim nomen generale erat, reliquas Septentrionales complectens provincias. *Helſingia.* Probant id etiamnum *Conuti Jonſoni* Archidapiferi litteræ anno 1328 in Parlamento *Telgis* habito datæ,

quæ

quæ teſtantur terminos *Helſingia* ab Aquilone antiquitus fuiſſe in flumine *Uba* & lacu *Ulutreſck*, qui jam in Borealibus *Cajaniæ* partibus ſiti ſunt. Hujus Regni antiquitatem, juxta atque potentiam, multa domi commendant foriſque *Halſingoer*, vulgo *Helſenora*, & *Helſuburgum*, ad porthmum Danicum Coloniæque ad Orientem verſus, in *Nylandiam* & cætera maritima deductæ. Clauditur ab Ortu *Bothnico Sinu*, ad Meridiem *Uplandia* & *Weſtmannia*, Occidentem verſus *Daleckarlia* eſt & *Norvegia*. In Aquilonem proſpicit *Lapponia*. Patet in Longitud. 73. milliar. Latitudo numerat 90. Olim proprias habebat litteras & leges, quarum figuras noſtri non habent typographi. Imago illarum perpendicularium eſt linearum, & quæ ſnbinde in incurvatos abeunt apices, qui multis tranſverſis in dextrum aut ſiniſtrum lineolis cum interjunctis binis ternisve punctis vocum efferunt repræſentamina. Tota agris, paſcuis, piſcatione, venationibus & aucu-

Ager qualis.


HELS
t'Slot
DE



aucupiis dives. Olim patebat latius, ipſamque *Geſtriciam*, *Helſingiam* preſſe dictam, *Medelpadiam*, *Angermanniam*, *Iemptiam* & *Bothniam* continebat Occidentalem. Integra habitabatur ab Agricolis, Mercatoribus, Clericis, Militibus ac iis dicendæ præerant juſtitiæ; in quorum omnium cenſu quis non multos miretur illuſtres? In nulla unquam ſecabatur territoria. Architallaſſicam habuiſſe ſocietatem antiquæ docent leges, vulgo *Skibts Lagh*. Hodie arctioribus clauditur limitibus, proque Inſigni deauratum habet Caprum, in Campo aureo, poniturque inter *mare*, *Geſtrickiam*, *Daleckarliam*, & *Medelpadiam*. Fuêre tempora quibus vocabatur *Sundhede*. An verò modernum nomen à *Tor Helſing*, ut Norvegicum Chrônicon aſſerit; an autem ab *Halſſ.* h. e. ſalubritate habeat non diſputo. Solum inſuper fruges, linum & paſcua profert ubertim, abundat pecoribus, quòd incolæ Bucolicæ rei præ cæteris dediti ſint maximè. Ipſum exercet linificium, aliaſque manuales & me-

mechanicas artes exquisitissimè exercet. Piscationes venationesque nemo in mari, fluminibus, lacubus negligit & campis. Inter celebriores sylvas sunt *Blackses, Bolesckogen, Odermarden*. Lacus sunt *Barwijcke, Dill &c.* Incolæ ipsi cæteris Svecis magis hospitales & liberalium artium studiosi, mutua earum institutione seipsos informant, ac domiciliorum puritati student maximè. Oppidum habet *Hudingswaldiam*, cujus duo littora mare claudit. Cum Daleckarlis, Iemptiis & Herdaliis ac Hollensibus aliisque signo gaudet commodissimo. Cæterum *Helsingia*, quam olim suos habuisse Reges diximus, Regni sui titulum habuit, ut Scanianæ referunt historiæ, donec *Ingellus*, Ubsaliensis Rex, *Olavi Tretelie* Vermelandorum Regis parens, in coronatione sua incendio consumpto ultimo Helsingiorum Rege, una cum aliis quinque Regibus eorum regna Ubsaliæ subjecit regibus, Fortitudinis item suæ Helsingii æterna posuerunt trophæa, cum liberata ab exterorum

Hundingswaldia.

rum ſtrage patriâ, iiſque ultra fretum *Oreſund* propulſatis, ad ejuſdem freti ripam à ſe denominatum condiderunt *Helſinburgum*. Eoſdem etiam adverſus Finnones, Cajanos Carelioſqueatrociſſima geſſiſſe bella, eoſque ſedibus expuliſſe, cum veteres teſtantur hiſtoriæ, tum etiam ipſæ,quas priſcis temporibus in illas oras tranſportarunt, docent coloniæ; quarum etiam in hodiernum uſque diem durant reliquiæ. Cajaniæ Finlandiæque Septentrionalis maritimi plerique coloni Helſingica loqvuntur lingua. Ipſi Nylandi ex Helſingia ſunt oriundi. Carelliorum qui accolunt fines, pulſis Finonibus & Carelliis Helſingico utuntur idomate, & ſuo ab idiomate *Helſingebii* & *Helſinge* relinquerunt paræcias, ex quibus *Helſingfors* manavit oppidum. Quod & illorum fama priſcis temporibus, antequam Chriſtianam amplectebantur religionem, apud exteras inclaruerit nationes. Gregorii Papæ & Ludovici Pii anno Chriſti 835 datæ teſtantur litteræ.

Mo-

Medelpadia. *Medelpadia* Comitatus eſt. Nomen ſortitur à medio inter ingentia flumina *Nieurunts Elff* & *Indals Elff.* *Mare* Ortum, *Helſingiam* Meridiem, *Norvergiam* & *Jemptiam* Occidentem, atque *Augermaniam* Boream verſus habet. Inſigne tres argentei coloris tres oſtentat Torrentes. Regio grandibus & altis attollitur montibus: frequens item eſt ſcopulis, vallibuſque & planis inter montes veſtita locis, qui omnes adeo fertiles, ut agri aliquot annis continuo non quieſcentes, nulla tamen ſtercoratione indigeant. In ſumma, ejuſdem cum *Helſingia* conditionis eſt. Duos habet fluvios variorum piſcium, Salmonum præcipuè capturâ inſignes. Habentur hic & frequentiores ſylvæ, quarum ſingulæ venationum & aucupiorum augent commoda. Occurrit hic horribili inclinatione ſummam minans ruinam mons *Scula.* Oppida habet *Suntſwalde* & *Indal*, domi magis, quam foris celebria.

Iemptia. Huic Regioni ad Corum contermina jungitur *Iemptia*, à quodam *Katiljempte* huc profugo dicta,

ut habet Chron. Norvagicum. Hæc ut *Angermannia Helsingiaq́* ad Ortivam plagam, ad Austrum jungitur Daliæ; ita Montibus Norvagicis *Fialen Kiol* à Norvegia Occasum versus disterminatur. Insignia gerit duos Leones promissâ jubâ, Norvegiæ insignia tollentes, cui à tergo Vir arcu & sagitta minatur. Frugum, maxime pecorum, dives. Venationibus, rangiferis & alcibus rem vehementer auget. Inque parœcias dividitur quatuordecim. Fuit aliquando dubii juris. Sunt qui dicunt Helsingorum quondam paruisse Regi *a*. & subjectam fuisse *b*. Aliquando tenuit eam Rex Norvagiæ Proxima autem pacificatione Sveodanica ad *Bremsebroo* 13. Aug. Anno. 1645. intra pristinos terminos à natura positos, in perpetuum revocata est. *Medelpedia* hæc & *Iemptia*. Longa est. mill. 39 Lata 19.

a *Sax. Rer. Svec. l. 5. c. 22.* b *Kap. B. Sc.*

Angermannia vel à pænitudine, ab *Angari*, quod vicinis Fennis severum notat, vel à flumine Angermanno dicta videtur. Ad Ortum habet *Balthicum mare*, ad Medriem *Medelpadiam*, ad Occidentem *Iemptiam*.

Angermania.

ptiam, ad Boream ſpectat *Lapponiam.* Comitatus hic pro inſigni habet tres Salmones cum reti in ſolo cæruleo. Habet montes rupeſque plurimas. Convalles autem locaque planiora adeo uberem habent glebam, ut quamvis iidem anni quotannis ſerantur, tamen vix decimo quoque anno expetant ſtercorationem, frumentaque nihilominus reddant in ſuo genere præſtantiſſima, ſi alioquin non admodum iniqua fuerit anni temperies, ut ad perfectam maturitatem fruges pervenire poſſint. *Angermannum* fluvium habet inter præcipuos famoſum, variâ piſcatione, maximè ſalmonum, ditiſſimum. Regio ipſa in duo quaſi dividitur brachia. Meridionalior enim pars à mari ſecus prædictum flumen, verſus Occaſum æſtivum protenditur; Borealior autem ſecus mare. Utramque ſylva, à prærupto ac horribili illo ac quaſi ruinam minante monte *Sculla* denominata, dirimit. Oppidum habet *Hernoſandiam* ad mare poſitum, & multis annorum ſæculis antiquiſſimum.

Opp. Hernoſandia.

Ex-

Excepto cupro iisdem cum *Hudingsvaldia* commerciis gaudet. Habet & nundinas ad festum D. Bartholomæi, quibus in universa Bothnia, viciniſſima enim eſt huic, & quidem adeo ut multi eam inter Bothniæ connumerent civitates, reperiantur celebriores. Inſigne ejus Caſtor prolixiori cauda.

Bothnia à ſinu Bothnico dicta, quondam *Dumshaff*; Eſt autem *Dumshaff* quod Bothniæ ad Orientem & Occidentem utrinque adjacet, finemque Gothici & Svecici maris in ſe continet. Hinc tertia Bothniæ pars à ſeptentrione maris hujus undas reprimens *Nortbothnia*, & quæ Lappiæ verſus Occaſum contigua eſt *Weſtbothnia*, ac quæ ad Ortum Tavaſtiam & Savolaxiam regiones attingit, *Ooſtbothnia* nomine in tabulis Cajanæ ſignatur *a*. Tres hæ Bothniæ regiones partes habent ampliſſimas, quæ tamen non æquè montoſæ atque eſt *Angermannia*. Habet tamen ſolum nonullis in partibus arenoſum, quod una cum rigiditate cæli nonnihil ubertatem impedit. Sed

Bothnia.

a *Olaus Magn. de Gent. Septentr. varus Condition. l. 20. cap. 1.*

Sed cujus tenuitatem & defectum aliarum rerum necessaria compensat copia, quam piscationes salmonum, & quæcunque sylvarum fert usus in dies conferunt abundam. Huc ex Lusitania vinum optimum, ex Flandria & Gallia pannos pretiosos, & aliam ex Germania omnis generis supellectilem, ex Svecia & Gothia triticum, siliginem, hordeum omniaque navibus deferri necessaria videmus legumina. Æstivis temporibus amænissima hic omnia, insulasque plures, littoris ductum sequentes, herbis, arboribus ac gramine luxuriari videas: avesque in arboribus dulcissimas canendo cantilenas & tam diversa piscium genera in aquis ludendo incredibile pariunt oblectamentum. Mare nullius animalis noxii ferax, terra nullius venenati insecti aut terribilis feræ patiens: tenebræ aut nox tota æstate ferè nulla: calor solis non immodicus: aer saluber & temperatus: tranquilla omnia, quieta & amænitatis plena. Ex septentrionalis hujus Bothniæ

niæ montibus vastum prorumpit flumen, cui in tabulis Chorographicis nomen *Kimi*. Hoc duobus se exonerans ostiis appositi maris suas fluctibus permiscet aquas, ac utroque juxta brachio exiguum circumfundit spatium, cui *Thorna* insidet civitas Hanc ita describit. *Olaus Magnus* a: *Labitur ex montibus hujus Aquilonaris Bothniæ undosus & profundus amnis: qui duobus ostiis fertur in mare, relicto in medio brevi spatio, in quo fundatum est oppidum* Thorna, *i. e. tunita insula, cujus Latitudinis elevatio est circiter* 82.*grad. Latitud.* 42. *Est autem hoc Oppidum in loco multum amœno & commodo situatum: nec aliud emporium frequentius in toto tractu suppolari, quam hac est* Thorna. *Ad ipsam enim confluunt* Russi Albi, Lappones, Biarni, Bothnienses, Fenni, Sveci, Tavasti, Helsingi *& compulres alii, ex partibus* Norvegiæ *per altissimos montes ac vastas solitudines, Iemptiamque regionem: & hi omnes partim oblongis naviculis, incitatissimis fluviorum casibus, aptatis partim curribus domitorum rangiferorum, quibus instar*

a *l.20.c.1.*

cer-

cervorum utuntur, partim etiam pandis perticis, quibus conspersa nivibus montium cito superant juga, celerique allapsu concurrunt.

LAPPONIA.

L*Apponia*, aliis *Lapmarckia*, vel *Laplandia* omnium Septentrionalium regionum extrema, atque in hoc Regno amplissima, lacubus, paludibus, montibus, maribus & aquis scatet: agris caret omnino, quamvis nonnulla invenias pascua, in quibusdam maximè convallibus. Incolæ non aliis sibi consulunt artibus, quam aucupio & piscatu. Civitas hic nulla, nullus pagus, nec quodquam fixa aut stabili ullum sede domicilium. Loca habitationum ad operis deliguntur usum, prout vel tulerit venatio, vel aucupium, idque ad sylvas, nemora, vel paludes. Invalescente hyeme, quoties tributa pendi solent, ad consvetos conveniunt dies, quibus & mercimonia inter illos celebrari solent. Adque illas solennitates Pastores quoque Sveci ex vicinis con-

concurrunt locis, qui occasione concursus omnium, verbum proponunt Euangelii, alia docent moralia & si qui nondum sunt baptizati religionis fonte abluunt. Rex *Carolus IX* hanc pietatis habuit curam ut ibi locorum nonnulla exstruere curaverit templa, effeceritque ut maxima Lapponum pars à Magicis, quibus antea vehementer dediti erant, artibus nunc maximè abhorreant. Cæterum sunt homines admodum simplices, probi etiam & bonis studentes moribus. Adulterium ibi rarum, rarius homicidium, ac furtum rarissimum. Latrocinia & direptiones auditæ nunquam. Casis utuntur vilissimis ac paratu facillimis. Corpora tegunt pellibus, maximè quas captis detrahunt Rangiferis, quos in usum habent equorum, quibus in universum carent *a*. Rangiferi isti haud multum à cervis lata habentibus cornua abludunt, grandibus tamen ramosisque gaudent, & quamvis non tam altis, latioribus tamen ornantur. Natura sunt validissimæ ac firmissimæ: in siti fameque feren-

a *Munst. lib. 6. Cosmogr. cap. 35. p. 1363.*

S da

da Camelis nequidquam inferiores. Mulgentur item, & lac ipsorum ac caro pellesque humano inserviunt usui: ungulas si adhibeas, medendo inservit spasmo. In nostras si deferantur oras, haud diu vivere possunt. Argumento est exemplum *Stenonis Sture* Junioris, Sveciæ Principis, qui *Frederico* Holsatiæ Duci sex talia ubi dono misisset animalia, cum conjugum Lapponum pare, ut eorum gererent curam, brevi post expertus fuit, nec homines, nec bruta transmissa diu supervixisse animantia. Pelles, quas hominum inservire tegumentis diximus, ita in usum adhibent vestium, ut pilos non ad corpus convertant, sed brutorum instar foras projiciant, indeque ocreas conficiant & calceos *a*. Sequentia ita describit *Liber Baro in suo Itinerario*: *Rustici in Svecia libertate magna gaudentes ubicunque volunt venantur & piscantur: cibos maleparant, & salis laborant inopiâ, Res pecuaria copiosissima, annona vilissima. Rustici divites & benigni; sed barbari & feri, præcipue in locis à Stock-*
hol-

a *Olaus Magn. lib.* 17.

holmia milliaribus septuaginta remotis. Sed quò longius inde versus Svecicum, seu Bothnicum, mare in Noord Gothiam aut Wester-Gothiam recesseris, eo barbariores tibi homines occurrent. Non amplius panno, sed ferarum pellibus vestiuntur. Rangiferas vocant bestias cervi specie, minores tamen, cinereo colore & cursu velocissimo, quas magicis incantationibus cicures reddi ajunt. Trahis junctæ omnis generis rebus vendendis adhibentur. Vinclis soluta post laborem sylvam & socias repetunt. Qui earum bestiarum unam aut plures cupit, sylvam ingreditur, arborem securi ferit, & verba quædam exclamando pronunciat: Mox & ex caterva procurrente optimarum tot eligit, quot cupit, easque funibus ex corticibus arborum ligatas secum ducit, iisque quamdiu vult utitur, ceteras dimittit. Pecunia apud Lappones nulla, arefactorum piscium ac pellium permutatione ómnia comparent necessaria. Lini hic & canabis usus nullus. Animalium nervos, & siccatos tusosque tendines in fila ducunt: multi stanno in subtilissima fila & bracteas instar auri obducunt, ac vestes suas iis exornant,

ita ut ſuperbia inter hos homines etiam locum habeat. Cæterum non omnes Lappones Svecico parent imperio; ſed Meridionales tantum, & quidem eorum maxima pars inhabitans regionem ultra centum milliarium longitudine & latitudine nonaginta explicatam. Diſtribuitur in quinque Præfecturas. Quarum 1. eſt *Uma-Lapmarck*, ubi præcipua loca *Lousby*, *Semiſierſi*.

Lapponiæ diviſio: 2. *Pitha-Lapmarck*, ubi *Sycovoma*, *Lochtari* & *Arnyerſuy*. 3. *Ula-Lapmarck*, ubi *Torpajaur*, *Sinkfluch* & *Jocomucka*. 4. *Torne-Lapmarck*, ubi *Sequara*, *Tinquara*, *Perderierſy*, *Kittilaby* & *Sodeneyle*. 5. *Kimi-Lapmarck*, ubi *Sonby*, *Kimiuby*, *Kolaierſuy*, *Kithiierſuy* & *Maanſe'kobi*. Daniæ Regi obediunt Lappones, qui maris accolæ Finmarchiam incolunt, & *Sioſini* h.e. maritimi Finni appellantur, ſoliſque piſcibus vivere dicuntur. Tertium Laporum genus paret Ruſſis, ſeu Moſcovitis, à Finmarchia & Caſtello Wardhuys uſque ad mare Album habitantes. Moſcovitica hæc regio Svecis eſt *Trennes*. Lapponibus *Pihinienni*.

Moſco-

Moſcovitis *Trachana Woloch.* Nonnulli eam cum veterum *Biernia* eandem eſſe contendunt. Quoad *Scritifinos*, vulgo *Scrickfinnen*, Saxonis Grammatici & aliorum ſcriptis celebratos, ſcribit *Henricus Solenus* [a], Vir origine & natione Svecus, *Regionem nulla parte talem eſſe, qualis ab aliis deſcripta eſt; ſed nomine* Skidfinnen *deſignari omnes* Finnos *&* Lappones, qui *ligneis calceis* aut ſoleis, à *Svecis* Skidh *& Finnis* Sukſi *nominatis utuntur.* Hi profundiſſimas nives celerrimè tranſeuntes non modo hoſtes proſequi, ſed etiam brevi longiſſimum iter conficere poſſunt. Ideo etiam nomen *Sckidhkarli* iis allubitum eſt. Horum ſexcenti paulo ante Regis *Johannis* III mortem totum Moſcoviticum exercitum centum mille militibus conſtantem ex improviſo obruerunt, & nivibus profundis impeditum fuderunt, inq; Moſcoviam repulerunt. Inſigne gentis eſt Homo ſylveſtris, inſtar Fauni, caput & verenda ramis obvelatus, clavam veterum Gigantum more geſtans.

[a] In Deſcript. Sveciae.

GOTHIA.

GOthiam sive à bonitate, sive à Diis h. e. potentibus, sive à fundatore suo dictam peculiare Regnum domi & foris potentissimum fuisse constat. Hæc Meridionalem Scandiæ partem occupat, spatiis arctam illam quidem, sed incolarum gestis rebus celebratissimam. Hinc enim profecti primi illi Gothi, qui transmisso freto vicinam Balthici maris oram tenuerunt ad ostia usque Vistulæ, postea que in Scythiam transgressi, ad Euxini Ponti littora consederunt: quorum qui ad Orientem longius recesserunt *Ostrogothi*, h. e. Orientales Gothi, qui ad Occidentem *VVisegothi*, h. e. Occidentales Gothi, nomine ex Scandinaviæ vernaculo sermone petito, dicti sunt. Multis deinde cladibus à *Constantino Magno* affecti Romanam invaserunt ditionem, *Valentem* Imperatorem deleto exercitu combusserunt; & *Theodosio* mortuo *Alaricus* ex Balthica stirpe cum Wisigothis suis in Italiam percupti, Romamque expugnavit. Ejus successo-

cessores in Gallia & Hispania Wisegothorum regna fundarunt. Quid eorum posteri, quid Ostrogothi egerunt videri poterit *Iornandes*, *Paulus Diaconus*, *Sozomenus*, *Adamus Bremensis* & alii. *Procopius* ait noluisse Gothos, ut liberi sui litteras discerent, ipsumque *Theodoricum* litterarum fuisse expertem, quod existimarent, quos ferulæ timor invasisset gladios & lanceas parvi facturos. Quod autem *Socrates* & *Sozomenus* videntur asserere *Ulphilam* Gothorum Episcopum, qui primas litteras Gothicas invenit, ac Sacram Scripturam in eorum linguam convertit, eosdem quoque ipsum omnium primum ex Gentilibus reddidisse Christianos, vel ex eo arguuntur quod ipsorum Episcopus *Theophilus* subscripsisse Niceno Magno consilio reperiatur. Quomodo verò ipsa Gothia Christi fidem susceperit circa annum Christi 955, quo Rex *Olaus* baptismo lustratus est, à *Sigfrido*-Eboracensi Archiepiscopo, alibi quis legat *a*. Qui Gothorum irruptiones diligentius

a Ioh. Magn. l. 17. & Olaus l. 2.

perpenderit & victorias fatebitur non fine gravi caufa dictum ab Imperatore *Carolo* V: *Univerfam pene totius Europæ nobilitatem* è Scandia & Gothia *fuiffe propagatam.* Regio ipfa ad Ortum & Meridiem mare habet Balthicum Daniamque, veluti ad Occidentem Oceanum, ad Aquilonem Sveciam fpectat, à Norvagia *Trolheta* dirimitur fluvio. Hunc lacus *Vener*, centum triginta minuta longus & latus, unicum reddit, cum quatuor & viginti forbeat. Sylvis ac lucis omnis confperfa eft. Soli fertilitate, clementiâ Cœli Aerifque falubritate nulli Aquilonarium cedit regioni. Pifcaturæ commoditatibus, navigatione & mercimoniis; aucupiis venationibus pecudumque copiâ; lactis, mellis, glandium; fagorum aliarumque rerum ufibus & oblectationibus humanis fervientium abundantiâ cuivis antecellit, noxiifque animalibus minimè infeftatur. Inter duas potentes & nunquam fatis concordes gentes Sveones & Danos eft fita. Ne ab hoftibus obfeffa utrun-

utrunque latus tueri continenter cogeretur, perpetuam societatem cum Sveonibus, sive quod potentia & opibus præstarent, sive quod eorum mores mitiores essent, inire curabit *a*. Unde ab illo tempore quo Monarchia in Regnum Sveciæ introducta est, utraque Gens, *Sveci* videlicet & *Gothi*, ut plurimum uni paruerunt Regi: & ita quasi in unam gentem coaluerunt: quamvis aliquoties ob virtutum æmulationem Reges sibi separatim præfecissent. Sed simultas non diu duravit, quin ad pristinam redeuntes concordiam communibus armis communes arcerent hostes. Verum admiratione certè non indignum videtur, Gothos Svecis ita cessisse in patria, ut antiquissimæ *Westrogothorum* leges affirment, penes Svecos jus esse Regem in utroq; Regno tum eligendi tum rejiciendi. Dividitur autem *Gothia* in *Orientalem* & *Occidentalem*.

a *Joh. Magn.*

Gothiæ Divisio in genere.

Orientalis Gothiæ provinciæ sunt, *Ostrogothia*, *Smalandia* & *Oelandia*: quibus olim adnumerabantur *Gotlandia*, *Scania*, & *Bleckingia*, quæ nupero iterum bello ac-

Orientalis Gothiæ divisio.

cesserunt & de quibus nos quoque paucis dicturi sumus hic ad finem.

Ostrogothia. *Ostro-Gothia* nomen à situ accepit Orientali. Orientale ejus latus *mari*, Australe *sylva* impeditur *Helevid*; Occidentale lacu *Wetter*, Aquilonare autem nemore *Kelmerd* munitum habet. Longa est mill. 21. Lata 15. Insigne monstrat Leonem inauratum super tres aquas in campo dimidio aurato. Dividitur itidem in Ortivam *Ostanstang*, & Occiduam *Westenstang*. Illa prius sibi vendicat insigne; hæc Draconem habet volantem, rosis caput & pedes alvumque stella ornatum. Regio majori

Regio qualis. ex parte plana est, ac fertilitate ceteras antecellit provincias. Sunt qui fertilitate ipsam antecellere Uplandiam putant. Conjecturæ non sinistræ. Nam ex ea major frumentorum copia ad exteras transportatur regiones, quam ex Uplandiâ: frumentorum copiam montanis, metalla autem suppeditat fodientibus. Arva hortosque colit fructuosissimos. Hordeum, secale, triticum, pisa, fabas bonitate juxta ac copia, variosque arborum fructus pro-

profer abunde. Unde totius Gothiæ *Granarium* merito appellatur. Mineras habet ditissimas: *Bavisckam* Sinum nobilem: Flumen *Motolam* è *Wetter* ortum, quod sedecim alias minores in se colligit fluvios. Montes item multos præcipuos & ex hic unum maxime suo conspicuum fonte, qui aheneum repræsentat colorem, ne quid de aliis dicam multis. Sedes illustrium hic magnificæ. Arces Oppida & Urbes præclaræ; quales sunt: *Norcopia*, *Sudercopia*, *Skeningia*, & *Wastenum*. *Urbes.*

Norcopia Metropolis est Ostrogothiæ & Civitas primaria. Urbs splendidissima ac florentissima, octodecim tantum milliarium Holmiâ, cui soli magnificentia & mercimoniis cedit Dicitur ab Aquilone, Incolis *Nor*, quod *Sudercopiam* miliari unico distantem ad Austrum, vulgo *Suder*, versus habet. Insigne habet litteram N supernotatam aurea corona, juxtaque securi aversa, quæ trabe separantur, Panni texturâ, tincturâ, nitidissimæ papyri apparatu, orichalci ingeniosâ tractatione, va- *Norcopia.*

riisque excellit artificiis. Sita est in margine maximi stagni ejusque dulcissimi, quod proxime Urbem exitu facto longiore alveo in vicinum mare provehitur, & ex eo descendentes salmones in stagni aquam dulcem admittit, Urbique celeberrimum largitur piscatum. De impetuoso rivo Urbem percurrente, latius alibi quis legat *a*. Arcem habet adjectam elegantem & validam. Templa hic capacia & ædes luculentissimæ. Artificiis & negotiationibus maximas præstat commoditates flumen *Motala*, quod pluribus aliis, ut dictum, auctum Urbem bissecat, duas inibi insulas pulcherrimas efficiens, atque in sinum *Bravikat*, cui Urbs adjacet, sese effundens. Loci amœnitas & fertilitas paucis exponi non potest. Hinc oriundi fuerunt *Petrus Johan. Norcop.* è piissimis vernaculâ linguâ scriptis notus, & *Doct. Joh. Botridi* Gustavi Magni *Ecclesiastes aulicus*, posteaque *Lincopensis Episcopus*. De hac ita nonnullus scripsit.

a *Olaum Magn.*

Motala flumen.

Sinus Bravikat.

Quæ quondam fuerat tenuis Norcopia *pagus*,

Eximia

Eximiæ titulum nunc merito
Urbis habet.
Et molitoris erat casa, nunc quæ
Urbs splendida claret:
Sic solet ex parvis magna ciere
Deus.

Sudercopia Emporium est Ostrogothiæ negotiationis haud contemnendæ. Locus est apertus & nullo opere militari clausus, cum fluento mare intrante & scopulo alto muri vices subeunte. Prope hanc *Chrystallos* sexangulari figura, & digiti ac pugni magnitudine dependentes reperiuntur *a*. *Sudercopia.*

a *Olaus Mag l. 2. cap 31.*

Scheningia Urbs est vetustate celebrata. Olim amplitudine & populositate majorem fuisse quam hodie, ipsæ docent plateæ in longum & latum immane protensæ, atque etiamnum aptissimè dispositæ. Nomen habet à fluento eam radente, quod Autumno & Vere magno fertur impetu. *Skena* enim patrio sermone *correptis habenis luxuriosè currere* signficat. Celebritatis ejus famam etiam hoc loquitur, quod ex schola ejus multi Episcopi & Ecclesiarum Antistites, *Scheningia.*

tan-

tanquam ex equo quodam Trojano, prodierint. Et inter hos *Petrus Gothus* decimus sextus *Ubsaliensis Episcopus*, qui Caroli IV Imperatoris tempore vixit: & quod circa annum 1248 Papa *Innocentius* IV hic Concilium celebraverit, & Svecicis Sacerdotibus vetuerit Conjugium, quo hactenus Græcarum Ecclesiarum more utebantur *a*. Memorabile est quod de fluvio memoratur, unde Urbi nomen. Invalescente ſicco tempore, tam parum aquæ ſecum vehere, ut jumentorum & pecudum ſibi reſtinguendæ vix ſufficiat, quamvis aliis temporibus effrenis inſtar equi effervescentium undarum impetu Urbis feriat mœnia. In Septentrionali ora Urbem ſibi parem non habuit, ut pote in loco ſalubri & aëre poſita, inter fertiliſſimos agros & paſcua, utilibus & umbroſis ſcatet nemoribus. Urbis plateas mox à principio Conditorum ſagax ita direxit prudentia, ut inſtar radiorum circuli omnes ab Urbis circumferentia ad Forum & Curiam, tanquam ad centrum pro-

a Joh. Iſaac. Pont. l. 7. p. 332.

procurrant. Dicitur etiam *S. Nicolaum*, olim *Episcopum Lincopiensem*, divina revelatione *S. Brigittæ* purissimum & integerrimum vitâ declaratum, hinc oriundum fuisse. Cœnobium sacrarum Virginum se hic quoque obtulisse, Ordinis quidem Dominici, sed suo tempore jam deletum, quod nobilis quædam vidua, *Ingridu* nomine, Senatus civitatis permissu, propriis sumptibus erexerat, postquam, mundo relicto & contempto, anno 1282 iter ingressa Hierosolymam, Compostellam & Romam venisset, & inde domum incolumis reversa fuisset a. Insignis hic quoque Mercatus est boum & aliarum pecudum circa festum *S. Olai*.

a *Zeillerus in Descript. Svec. pag* 128.

Wadstenum. *Wadstenum* itidem Ostrogothiæ perantiquum Oppidum est, quod undis lacus *Wetter* pulsatur. Non tam amplum, quam amœnum est. Olim Cænobio *Sanctæ Brigittæ* & reliquiis celebre. Hodie Domo Hospitali, in usum læsorum truncatorumque in bello militum: ubi exquisitissima eorum habetur ratio. Nomen à *fluxu* ad pontem.

Arcis

Arcis collocatis, quæ aquis tecta olim ominosa habita, traxisse putatur. Templis nobilissimis planitie late circumjecta, hortis pomiferis fontibusque gaudet limpidissimis. In Effigiem Cænobii Vadstenensis quondam celeberrimi à *D. Brigitta*, auxilio R. Majestatis *Magni Ladulaas* fundati, & undecimo inde anno consummati, quod sexus utriusque Ordinis Brigittini Cænobitæ 4 Jan. primitus incoluêre; sed 372 post annis, scilicet anno 1595. Idib. Septembris desolatum est, ita cecinit Poëta *a*.

a *Johannes Messenius.*

Mira quidem pictura tibi, mage mira sed ipse
Surgeret aspectus, Lector amice, domûs:
Par decus eximiæ non conspecturus in orbe
Structura: multus convena testis erit!
Sive peragrentur, quæ climata cernit Iberus
Ausoniæve *domus, templa vel ampla* Varis
Gloria Vadsteniis *tribuatur tanta colossis;*

Cedas:

Cedat ut hæc nulli celsa decore domus.

Smalandiam ab Ostrogothia disterminat sylva *Holaweth.* Regio ampla, ut quæ in circuitu continet nonaginta & quinque milliaria Germanica. Tractus maxima ex parte sylvis consitus. Quæ intereminet tamen gleba colonorum abunde compensat labores, & æquali quidem fertilitate cum vicinis provinciis, Scania videlicet & Bleckingia. Abundat item pecoribus, unde & nomen sortita creditur, quod pecora sua lingua *Smaala* vocant. Cum reliquæ Sveciæ provinciæ, fodiendis invigilant metallis, hæc illarum incolis pecora ad satietatem subministrat. Smalandi, ut quadrupedum, ex annua fætura, gregumque incrementa relevent, maximam quotannis armentorum copiam in vicinam venundant Daniam: unde non parum augentur famosæ illæ boum myriades, quas Dania quotannis Germanniæ Belgioque subministrat. Lacus piscosos habet innumeros, flumina item ac fontes. Ad *Smalandia.*

Ortum

Ortum clauditur *mari*, ad Meridiem *Bleckingia* & *Scania* ad Occidentem *Hallandia* & *West-Gothia*, ut & ad Boream *Ostro-Gothia*. Insigne est Leo capite erecto, intensoque arcu, & imposita sagitta minitans. Montes hic innumeri ut præ numero numerum fugiat. In convallibus planities frequentes. Ferrum & chalybs hic effoditur, non ex montibus tantum, sed & ex lacuum fundis, ex quibus levi labore minimoque sumptu optimum conficitur ferrum. Pro amplitudine sua Civitates non ita habet multas, quod à Meridionali parte cingatur Hallandia, Scania & Bleckingia, quarum civitatibus maritimis mercimonia ex internis mercibus suppeditat, rursumque ab iisdem externas accipit merces. Habet tamen *Calmariam*, *Ienecopiam*, *Wexioniam*, *Eckesiogiam* & *Westervicum*.

Calmaria. *Calmaria* Urbs antiqua, & nominis celebritate maximè conspicua, totiusque quondam Meridionalis Gothiæ Metropolis [a], & Clavis Gothici Regni. Ab hac Fretum Calmariense, vulgo *Calmar-*

[a] *Olaus Magn. l. 9. capp. 21. & 22.*

marsund, inter Oelandiam insulam & Urbem, nomen habet. Docet Author Svecicus ita dictam *a*, *quod in Gothlandia Meridionalis littore posita ab iis, qui ex Germania Septentrionem navibus petunt*, Calmer *appellatur: quoniam in hoc tractu mare frigidius, & aër asperior, quam in Germania, unde solverunt, ipsis occurrit*. Sita est loco plano & satis amæno, Mare muro disiungitur. Alterum latus aggeribus fossisque amplissimis clauditur. Arx adjacet invictissima. Cui etiam propugnaculum in mari *Grimskar* paululum distans. Aqua gaudet dulci. Huc ex Hispania, Gallia, Anglia, Hollandia frequentes appellitant naves. De frequentibus Urbis hujus impugnationibus, vid. *Olaum Magn. lib. 9. cap. 21. & seqq.* Circulari ferè figura est, & è centro fori, propter platearum rectitudinem, omnes portas spectare licet. Ante aliquot annos casuali incendio maxima Urbis pars cum magnificentissimo templo consumpta est. Oblata inde Reginæ ansa, quod & felicis recordationis *Gu-*

stavi

a *Olaus Magn. l. 9. c. 2. & 22.*

Mare Grimskari.

stavi Magni meditabatur, Urbem in vicinam insulam *Owarnholmam*, commodioris navium appulsus melioris que defensionis gratia transferendi. *Ericus* Daniæ, Norvegiæ & Sveciæ Rex anno 1430 templo Calmariensi tredecim præbendas vel Canonicatus adjunxit, edictoq; præcepit, ut hæc Ecclesia Collegiis Ecclesiasticis adnumeraretur. Hodie Superintendens Ecclesiæ hujus Præses est, & cum cæteris Episcopis Comitiis publicis interesse solet. De hac Poëta:

Owarnholm.

Sive à colle maris dicta est Calmaria; *sive, ut*
Magnus Olaus *ait*, *frigidiore mari*:
Est portus præstans, Arx insuperabilis armis:
Hic præstant merces, extera & indigena.

Ienecopia.

Ienecopia à vicino fluvio *Iunabach* nomen habere putatur. Sita est ad extremum littus lacus *Wetter*. Oppidum magnificis Regum Commitiis memorabile in omni ævo sequuturo *a*. Ædes ex ligneis trabibus non dolatis, & in morem decipularum, quibus

a Olaus Magn. l. 1. cap. 10.

quibus pueri panes captare solent, compactis constructæ sunt. Civitas aperta, nec fossis, nec muris clauditur. Arx congesto defenditur vallo ad Occidentem. Ad Orientem vastæ paludes. Primis olim temporibus præcipui homines parietes pannis & velis tegebant, quod haud parvum ædibus conciliabat ornatum. Hic anno 1503 *Steno Sture* Regni Sveciæ Administrator, subita morte vitam finiit *a*. An. 1612 cum Rex Danię *Christianus* IV hanc urbem cum exercitu peteret, Sveci civitati ignem subiecerunt, & animosa defensione Danos ab arce rejecerunt *b*. Memorabile item est quod *Michaël Heberer* meminit *c*, ante suum in hoc oppidum adventum in itinere se offendisse pagum *Linerohs*, in qua domum serpentibus plenam vidit, iisque ingentibus; qui tamen neminem damno afficerent. Imo duos tandem adrepentes in terra cum liberis domesticis ex eadem patina pultem ligurivisse. Hic & in vicinia sæpius visiones contingunt & alia miranda *d*. Idem & recentior confirmat experientia.

a *Meurs. Hist. Dan. lib.* 2.

b *Heldraderus.*

c *In Itinerario suo.*

d *In Baaz. l.* 7. *c.* 5. 9. 17. 19. & *l.* 8. *c.* 14.

Nobilis interim hic locus est Regio Gothici Regni Parlamento.

Wexionia. *Wexionia* ante multa sæcula fuit celebris. Hic *S. Sigifridus*, primus ibidem Episcopus, templum fundavit Cathedrale; circa annum Christi 909 Ibique sepultus. Privilegia Urbis anno demum 1341 à Rege *Magno Erico* accepit. Sita est in medio *Smalandiæ*. Nundinas habet 15 Febr. in Festo *S. Sigifridi*, ad quas ex Dania sui quoque confluunt mercatores: item *Brigittæ*, in autumno. Dicta videtur à Saliceto *Wie*, vel *VVilde*, ubi condita & lacu adjacente valde piscoso. Florentem habuit Scholam, nunc vero Regio etiam aucta est Gymnasio. Monumenta habet *Unamanni*, *Sunamanni* & *Vinamanni*, qui omnes *Suffridi* erant Nepotes, Archiepiscopi, & fidei Christianę propagatores. Civitas hæc tempore *Erici Glippini* cum Svecis bello decertantis tota cum templo suo Cathedrali in cineres corruit *a*.

a Pontan. lib. 7. Rer. Danic.

Eckensingia. *Eckesingia* à vicino Querceto (nam quercus *Eeck* Svecis dicitur) & non procul jacente lacusculo.

Lacus

Lacus enim *Sio* est, nomen habere videtur. Oppidulum est Smalandiæ: pecudum mercatu suas exercet negotiationes, quas cum vicina Ostrogothia communicat. *VVestervicum* nobili portu & navium claret structura. Hic pix, asseres, trabes, & mali abundant, quibus quoque mercaturam exercet.

Oelandia, quod nomen dictat, insula est Balthici maris, eaque omnium amænissima, dimidio tantum milliari Calmariâ distat. Insigne illius est Cervus deauratus, clypeo coronatus. Causa Insignis, quod hujus animalis leporumque apprimè copiâ regio ista nobilitetur. Amænitatis & fertilitatis plena: pecudes, pecora, jumenta, equos etiam qui canum more in circulum saltitatiles suis blandiri sciunt dominis *a*, feras venationi & aucupio aves copiosè alit idoneas. In summa Regionem soli fertilitate vix habet parem, & hordeum est fertilitate præcellens. Herbas nutrit saluberrimas, unde hic & butyrum, quod non medicinæ minus, quàm alimenti loco est. *Oelandia.*

a *Georgi Tour. in Orbis Novit part. 1. l. 2. c. 11.*

eſt. Borealis hujus pars etiam lapides non viliores Gothlandicis dat regionibus. Sylvis gaudet frequentibus; quamvis pars illius Auſtralis neutro gaudeat horum. Arce unica munitur *Borckholm.*

Borck-holm. Dicitur aliis *Bornholm*, *Boringkholmum*, unica fertiliſſimæ Inſulæ Oelandiæ Arx. Hanc anno 1456 Dani ſuæ poteſtatis fecerunt. Idem fecerunt anno 1497, eamque *Suantoni* Sveciæ Gubernatori a. 1504 obſidenti adeo fortiter reſtiterunt, ut obſidione ea ſuperſedere coactus fuerit; ſed Sveci anno 1511, alii anno 1510, redeuntes tam acriter & tam diu obſidioni inſtitêre, ut tandem eam deditione receperint.

Occidentalis Gothia. *Occidentalis* Gothia dicta eſt ab Occidentali GothiæDucatus parte. Ad Ortum *Wetter*, ad Auſtrum *Smalandia*, ab Occidente *Hallandia* & *Oceano*, ad Septentrionalem *Norvegia*, *Dalia* & *Lacu Vener* circumſcribitur. Inſignia fert Leonem dimidium inauratum, cærulæum dimidium in ſimili planitie, inter duas ſtellas ſalientem. Hic non

ſecus

ſecus atque in vicina Smalandia læta ubique paſcua, & immenſi armentorum greges. *Aroſ ana* hoc aliæque nundinæ regioneſque variæ teſtantur, quæ, boum & pecudum ingenti copiâ huc miſsâ, lucrum habent ſuum. Caſei etiam Weſt-gothici magnitudine & præſtantia celebres ſunt, & qui, ut dicitur, ne Parmenſibus quidem cedunt. Flumen hic *Gothelba* immani lapſu notabilis, ut & alia. *Gothelba fluvius.* Lacus item habet, ſylvas & montes celebres. Digna obſervatione Arx *Hall*, quæ naturali ſitu munitiſſima. Inter multos non ignobiles fontes, qui *S.* dicitur *Helena.* Arces aliæ multæ Regiæ, ut & palatia Magnatum. Univerſa dividitur in *VVeſtro-Gothiam*, *Daliam* & *VVermelandiam.*

VVeſtrogothia regio eſt plana & *W-ſtrogothia.* fertilis; ſed quæ cedit fertilitate Uplandiæ, Weſtmanniæ & Sudermanniæ: quemadmodum hæ viciſſim pecorum abundantiâ Weſtrogothiæ. Nam ut illarum colonis præcipua lucra ſunt ex agriculturâ; ita hujus à pecoribus. Flu-

viorum qui versus Septentrionem in lacum illabuntur *Vener*, sunt *Tida*, *Lidá*, *Nos*, qui rursum per ma-
Trolbetta fluvius. gnum illum *Trolhettam* fluvium, apud *Eltzborgh* & *Kongelff*, duobus ostiis apud Codanum exonerantur sinum, ut & in eundem multi alii versus meridiem, inter quos præcipui *Eda* & *Usk*. Civitates habet *Gothenburgum*, *Scaram*, *Mariæstadium*, *Lindecopiam*, *Falecopiam*, *Sckedvicum*, *Hio* & *Brettam*, ex quibus describemus præcipuas.

Gothenburgum. *Gothenburgum*, quasi Gothorum Arcem seu propugnaculum dixeris, totius Westrogothiæ Urbs est clarissima. Non secus ac *Holmia* & *Calmaria* ad mare Balthicum; ita hęc ad Oceanum defensionem pręstat. Insigne ejus est flavus Leo coronatus, sinistro tres aureas coronas cum pomo cruce deaurata ornato tenens. Fundata est Urbs hæc anno Christi 1607 sub Rege
Helsingen Insula. Carolo IX in nobili insula *Helsingen*, è ruderibus *Elsburg*, quò Urbs *Nyloos* anno 1543 translata, cum vigiliâ *S. Laurentii*, rupto ponte sexaginta homines, interque illos nobi-

nobilis fæmina cum ſex miniſtris, tum forte adæquitans, periêre, aucta eſt. Locus ad negotiandum peropportunus, commoditate tranſeuntis fluminis, & alluentis juxta maris. Nova, ut dictum; Civitas à Sveciæ Rege excellentibus donata privilegiis: unde ab Hollandis aliiſque incolitur Belgis. Portûs hic commoditas inſignis, & famoſi fluminis *Trellhatten* mira miniſteria. Canales & foſſa quaqua verſum per Urbem ductæ. Platearum amplitudo & mundities. Situs & adjacentium locorum amœnitas, Aëris ſalubritas. Vicini fertilitas ſoli, lucroſaque commercia & munimentum humanis invictum viribus. In Politica adminiſtratione cum cæteris convenit; niſi quod Magiſtratus majori habeantur veneratione. Nobile illud.

Adſpiciunt variis varii hanc obtutibus Urbem,
Albis *cui Gothicus commoda magna vehit.*
Mercibus eſt dives, Gotheburgum *dives ab armis;*
Hoſtiles igitur ſibilat indeminas.

Scara: *Scara* vel *Scarra* Urbs Westrogothiæ antiquissima, & quidem in ejusdem ferè meditullio, ut præsumitur à Rege *Scarino*. Is fuit 19 in Regum ordine. Anno Mundi 2793, juxta Chronici calculum, ædificata. De antiqua hujus celebritate multa *Johannes* & *Olaus Magni*, aliique. Episcopali sede nobilis. Lacunis & paludibus obsessam sedem nacta, cum Gothicorum Regum sedes ac domicilium esset, maxima celebritate fuit conspicua, celebritatisque pristinæ argumenta producunt rudera

Aaranes Arx. Arcis Regiæ *Aaranes*, cujus situs, muri ac structura unumquemque inspectantem in summam admirationem rapientes, in eam adducunt opinionem, ut eo tempore sumptuosius & magnificentius in Borealibus Regnis, quin & in tota Europa non credat fuisse ædificium. In hac arce anno 955 baptisatus est Rex *Olaus*, cognomento *Schot-koning*, à *Sigisfrido* Episcopo *Eboracensi*, qui missus huc fuerat à *Mildredo* vel *Eldredo* Angliæ Rege, qui Euangelii prima faceret

ceret instituta, & qui, Regi suo tantum opus gratificaturus, in Sveciam ad Regem *Olaum* iter susciperet, cujus nepotes *Unamannus*, *Sunamannus* & *Winamannus*, ut paulo ante dictum est, hic & alibi Sacri Baptismatis sacramentum administrantes, odio tandem ac perfidia adulteræ cujusdam fœminæ gladio perierunt *a*. In dictæ Regiæ Arcis & Paludis *Vener* vicinia mons excelsus *Kindakule* summum suum extollit jugum, omnis generis herbarum plantarumque, (excepta vite, quam omni ante negavimus regioni) sponte nascentium & suos producentium fructus largissimo luxurians proventu. In hoc avium jucundissimis suis concentibus deambulantium permulcent aures: idque adeo, ut nullus in Boreali hac plaga locus esse credatur, qui ejus respondere queat amœnitati *b*. Hodie vilis quidem locus est, ut qui paulatim ac pedetentim sua excidit magnificentia atque splendore; quamvis *Adamus Bremensis*, suo adhuc tempore, totius *Westro-*

a *Olaus Magn. l.* 2. *cap.* 10.

b *Olaus Magn. lib.* 22.

gothia Metropolim fuisse fateatur. Oppidi locus situs est ad Lacum vel, ut *Frelickius* scribit, in Lacu. Sunt qui Episcopi sedem cum veteris nominis celebritate ipsi adhuc conservent.

Mariastadium. *Mariastadium* itidem West Gothiæ Oppidum est, in fertilissimo territorio *Walsbo*, à Rege Carolo IX in memoriam Consortis thori, Reginæ *Annæ Mariæ*, Heidelbergensis Electoris Ludovici filiæ, fundatum. Ludovienses huc translati cives. Ab uno latere magni lacus *VVener* sinum habet, ab altero continentem, unde curribus atque navigiis commeatus, merces aliæq; sarcinæ pariter afferuntur. Quaternis in annum nundinis locuples. Vicinam habet regionem *Mariaholm*, quæ tota suo distinguitur flumine.

Lindecopia. *Lindecopia* duobus tantum milliaribus distat *Scarris*. Sita est ad latus Australe Lacûs *VVener*, cui flumen *Lida*, à quo nomen habet, Urbem pertransiens se infundit. Civitas Episcopalis est, & patria duorum Svecicorum Historicorum *Johan-*

Johannis & *Olai Magni* patria. Hic prope mons est *Ketilberg*, seu mons *Cacabi*, in quo longissimus dies novendecim comprehendit horas. Non spatiosa quidem, sed omnibus rebus necessariis affluens amœna. Qui fontes hic sint salientes, & quales in Urbe scaturigines, in totâ vix reperiuntur Svecia. Pulchrum ostentat templum, cujus Columna in medio sua nobilis inscriptione. Gothica hic arma. Episcopali sede, Schola & Gymnasio celebris. Mirabitur hic quisque in toto Septentrione sacras ædes magnificentia nullis cedere, ut quæ ex quadrato exstructæ lapide splendescunt. Hæ cineres Regis *Olai Sckot koningks*, & utriusque Regis *Amundi Kelebrenares*, ejusdemque filii tenent. Hic quoque natus est novissimus nuper Episcopus Lincopiensis *M. Jonas. P*, aliaque clara ingenia. Insigne Urbis est Caput Leonis, ex tribus transversis emergens fluviis erectum, & ad pugnam paratum, aureâque redimitum coronâ. *Heribertum*, qui inter primos Sveciæ

Doctores numeratur, Templum Lincopiense primum suum gloriatur fuisse antistitem.

Falencopia. *Falencopia* Oppidum est campestre, inter montes *Myssebergh* & *Alleberg*, olim quam nunc amplius. Ager summa hic ditescit fertilitate. Frumento & pecudibus maximè negotiatur. In Insigne habet *tres excelsas acuminatasque turres.*

Sckedwickum. *Sckedwickum* vicinum habet fontem, cujus aquæ vulgo perhibentur salutares. Insigne habet Idolum *S. Claræ* baculum tenentis, & in circuitu ejusdem nomen.

Hio. *Hio* Oppidum est situm ad oppositum latus *Wetter*, sed Australius. Insigne habet cymbulam navigantem.

Bogesand. *Bogesand* Situm est inter locum *Asund* & ingentes sylvas. Oppidulum est famosum prælio Danorum cum Svecis facto III. Calend. Febr. anno 1520, in quo *Steno Sture*, Regni Svecici Administrator sclopeti globo, qui coxendicem ejus vehementer percusserat, vulneratus est, adeo ut curru, haud pro-

cul

cul ab Urbe Holmia spiritum reddiderit *a*. a *Chytr. l. 9. Sam. fol. 228.*

Bretta, vulgo *Borhaas*, Oppidum est situm in *Winheradt*, ad locum sylvosum & montosum, juxta fluvium in dies incrementa capientem. Incolæ institores sunt impigerrimi: per totum Regnum merces, lineum, pannum, utensilia, calcaria, cultros tintinnabula, forfices, *&c.* venum circumferunt. Unde *Insigne* habent *duas forfices*. Fit de hujus Oppidi mentio *fol.* 5. *Theatri Europæi* quomodo cum *Camelose* anno 1644 ab *Hannibale à Seestadt*; Danorum Duce oppressum & incensum fuerit. *Bretta.*

Dalia quasi *VVallensis Regio*; quondam Wermenlandici Regni *Comitatus*. Insigne *Rubicundus Taurus* in planitie candidâ. Hic Oppidum est *Daleburgum*. *Dalia.*

Wermelandia, aliis *Warmia*, dicta vel à *VVern*, quasi præsidium, vel à *VVener* cui adjacet, quasi *VVenersland*, vel à lacu *VVermelen*, vel à *colore* denomitatur. Regni quondam fuit titulo conspicua *b*. Memoriæ traditur *Olonem* Daniæ Regem *Wermelandia.* b *Sam. Memos. & aliis.*

Wermiorum Regis *Olai* filiam *Esam* duxisse. Huic Regio *Dalia, VVermia* stricte sumpta, *Daleckarlia*, *VVesterdalia* & *Oosterdalia* quondam accensitæ. Montana est & sylvestris. Metalli fodinas, & nuper admodum ditissimam cupri venam inventam habet. Flumina item & salmonum piscatum.

Carolostadium. Urbs hic unica *Carolostadium* à Rege *Carolo* IX denominata. Occupat insulam, ab ingenti flumine *Carls Elff*, ubi lacui *Wener* miscetur, factam, inque ipso *VVermiæ* meditullio sitam. Equitum lustrationibus nundinisque festo D. Pauli & Luciæ celebris, quæ etiamnum à Gothenburgensibus aliisque vicinis magno cum emolumento frequentantur.

FINLANDIA.

Finlandia. FInlandia eadem hodie, quæ olim *Fenningia* dicebatur. Olim peculiares habuisse Reges memorant historiæ, & ad Winstulam usque se dilatasse testis est *Ptolomæus*. Sveogothico incorporata imperio hodie *Magni ducatus* nomine audit. Iacet inter duos Maris Balthici sinus

nus Bothnicum & Finnicum, ut & ipsam Lapponiam. Insigne habet Leonem Coronatum, dextro pede strictum gladium vibrantem, sinistro autem acinacem conculcantem, novemque rosis ornatum. Regio longe lateque dilatata. Nominis significatione vel *Fienland*, h. e. pulchra terra; vel *Feindsland*, h. e. terra dicitur hostilis. Regio undiquaque amænior est Svecia, melioresque profert fructus, & minus est montosa paludiosaque. Incolis dicitur *Swomi* & *Swomima*, sive à *Swomu* squamis, sive à *Swoo* paludibus, utrisque enim abundat, sive à Rege *Sumbli*, non dicam à *Semo*, cujus posteritas inhabitasse creditur, atque etiamnum inhabitare, ut quæ ex Asia venit. Pure latinè *Feningia* dicitur *Plinio*. Gens ipsa *Tacito* dicuntur *Fenni*. Terra ipsa non modo sylvis, montibus, rupibus, fluviis, paludibus, lacubus; verum etiam pratis, fontibus, agris lucisque amænissimis referta ac fertilissimis. Estque ea glebæ ubertas, tantaque solis efficacia, quantam inexpertus vix unquam

credat. Ex una tonna quindecim terra reddit. Venationes, aucupia & piscaturæ sunt abundantissimæ, unde quotannis immensa sale induratorum piscium copia in Sveciam lucrose divenditur. Pinus, abietes, betulæ, juniperi ingentes passim faciunt sylvas. Fagus hic nulla, quercus item raræ, quamvis nonnullæ in maritimi, passim inveniantur locis: ubi juxta & sorbi, pomi, coryli & frutices S. Johannis, sive uvarum crisparum. Suos olim habuit Reges, sub quorum auspiciis subditi omnes, jurata quasi fide, hostes erant Svecorum. Anno demum 1155, vel ut alii volunt 1150, vel 1151 à *S. Erico* Sveciæ Rege anno 1160 occiso superati, & ad fidem Christianam adducti fuerunt. Hujus successores reliquam partem, *Tavastiam* nempe & *Careliam*, in suam quoque potestatem redegerunt. Indigenæ peculiari utuntur lingua, & à reliquis Scanzianorum populorum linguis planè diversâ, ha-

Proprietate lin. betque aliquot proprietates reliquis Europæis linguis nequaquam

com-

communes, quas hic aliquot tantum recensere libet. Et primùm quidem in tota sua lingua carent littera *F.* neque ullam habent dictionem quæ incipitur à *B. D.* vel *G*, vel à duabus consonantibus. Hæc res Finnones multum inhabiles facit ad discendas alias linguas, nisi hoc vitium ab ineunte ætate arte corrigatur. Siquidem si in pueritia aliam non didicerint linguam, adultiores facti earum vocum pronuntiationem discere non possunt quæ à prædictis inchoantur litteris, vel à duabus pluribusve incipiantur consonantibus, sed priores consonantes semper elidunt, ut *Rex* dicunt: pro *Grex*: *Ratus* pro *Cratus*: *pes* pro *spes*: *repere* pro *strepere*. Item pro *Bonus* dicunt *ponus*: pro *Dominus*, *Tominus*. Unde fit quod Nobiles, Mercatores & Sacerdotes, Rustici etiam ditiores curant, ut eorum filii à primis usque incunabulis Svecicam discant linguam, eaque ratione eos ad aliarum linguarum proprietates pronuntiationemque sese accommodare assuefaciant.

gua Finnica.

Secun-

Apud Finnos nulla observantur Genera, & unicus tantum est Articulus.

Secundo in tota sua lingua nulla omnino observant Genera, sed unicum tantum habent Articulum *se*, qui utrique sexui omnibusque Generibus attribuitur, ut *se mies* hic Vir, *se Warmo*, vel *Naine*, hæc Mulier, *se Aelehin* hoc Animal. Ideoque nisi Svecicam, vel aliam in juventute didicerint linguam, difficillimè in aliis linguis discunt observare discrimen sexus & Generum, eamque aut prorsus omittunt, aut apponunt inconvenientem. Est tamen istius linguæ proprietas, quod maximo sit adjumento extraneis Finnonicam linguam discentibus, quo citius eam discant. Quod enim in aliis linguis discentibus esse solet difficillimum, id in ea lingua prorsus amittitur. Tertia ejus proprietas est, quod voculæ quæ in aliis linguis à præponendo *præpositiones* vocantur, in Finnonica lingua semper postponantur. Rythmos præterea non simili vocum terminatione, ut reliquæ gentes, sed à simili binarum ternarumque vocum observant initio; octonis

Finni sua Præpositiones postponunt.

ver-

verſum ſyllabis claudentes. Rerum ad vitam colendam neceſſariarum hic nihil deeſt. Frumentum hic aliique fructus ut & res pecuaria, jumenta item piſcatuſque frequentiſſimus, nec multæ aliæ deſunt venationes. Incolæ homines laborioſi, & à labore nequidquam abhorrent. Finlandiæ Longitudinem trecentis, Latitudinem ſexaginta Germanicis deſcribunt milliaribus *a*. Ipſa Regio longa excurſione littus ſuum in Orientem curvum porrigit. Partitio ejus dāt Finlandiam *proprie dictam*, & *aſſocitatas aliquot Regiones*.

a *Olaus Magn. in Præf. l. 3.*

Proprie dicta Finlandia eſt *Meridionalis* vel *Septentrionalis*. *Meridionalis* pro Inſigni habet Auratam Galeam, Coronam duobus cæruleis vexillis cum deaurata cruce, in ſimili ſolo. Territoria hujus duo ſunt *Pakis* & *Haliko*. Omnis hic generis piſcatura: frumenti item, lupuli aliarumque rerum abundantiſſimus proventus. Habet etiam Baronatum *Kimite*, ubi marmor cæditur columnas templi arciſque Holmenſis, & alia exornans. Aliæ

Finlandia Meridionalis.

quo-

quoque nobilium sedes frequentes. Urbes habet *Aboam* & *Roseburgum*.

Aboa Civitas. *Aboa* Meridionalis Finlandiæ Metropolis est, in angulo inter Bothnicum & Finnicum sinum. *Amnis* significat *habitationem*. Nam *Aa* amnis est, & *Boo* habitare. Fennis *Turcku* h. e. *forum* audit. Urbs circumvallatur montibus, qui inusitata alibi alatorum molendinorum multitudine sunt conspicui. Magna cum Holmensibus, Urbibus Vandalicis, Batavis viciniſque facit mercimonia. Urbem non modo flumen *Aura* magno intersecat emolumento; sed & inter alios fons perennis *Kupis-kala* limpidissimo perluit rivo amni sese mediâ infundens Urbe. Valde locum hunc anno 1300 in memoriam *S. Henrici* fundatum decorat templum, ac magnis sumptibus à variis magnificè Episcopis exstructum, nec non multa undique collustratum luce, & adhæc fulgente decoratum ære. Alia publica hic ædificia multum simul corruscant, inter quæ *Dicasterium Regium*, *Academia*, & Urbis *Curia*, Arx adjacens & mu-

nimen-

nimento & ornamento est: inter quam & Urbem deambulatio juxta datur jucundissima. Vicina ei insula *Rumsalae* amænitate sua Thessala vincit Tempe. Eaque circumjacentis soli est fæcunditas & piscationum ubertas, ut nullibi minoris obsonetur Sæpius Urbs sua à Vulcano dira passa est. Anno 1310 à Ruthenis direpta, & cum templo Cathedrali exusta. Anno 1525 templum die 8 Cap. Christ. iterum conflagravit. Anno 1429 templum atque Cænobium fulmine tacta deformata sunt. A. 1473 urbs iterum fortuitis corruit flammis. A. 1510, vel ut alii malunt 1509, d. 2. Augusti, die S. Laurentii *Ottoni Ruur*, prædæ fuit. A. 1521, 10 Cal. Junii, à *Severino à Norby* & à *Nicolao Andreæ* accensa. A. 1537 die Inventionis Crucis Cænobium igne periit, nunquam deinceps restauratum, ex quo tamen tres adhuc celebres denominantur plateæ. Item Anno 1546 major Urbis pars, excepta ad Boream minore, conflagravit. A. 1565 Urbs in cineres redacta, uti & a. 1569, d. 15.

Rumsales Insula.

d. 15 Febr. Anno 1591 d. 27 Maji quarta pars exusta, & sequenti post anno cum Nosocomio & promptuariis ad amnem, quo incendio Consulis uxor & alii aliquot perierunt homines. Iterum anno 1601 flammis vastata. Anno 1603. d. 4. Junii maxima Urbis pars à Cœnobio ad plateam pecorum igne absumpta. Anno 1619 arsit platea templi. Et Anno 1624 iterum suas experta est flammas. Et quis alia ejus omnia recensuerit damna? Tot suis edocta malis accuratum postea caminorum rationem habere, contignationesque lapidearum ædium sic aggere, lateribus & calce munire, ferreis fenestras laminis, ut rapidissima sæpe incendia innoxia, ita custoditis, transierint; nisi quod supremum tectum, cortice & asseribus constans, absumptum: aliaque apta remedia suffocandis adhibere didicerat flammis. Habita hic & Comitia Anno 1435, in quibus *Engelbertus* Regni declaratus Princeps. Et iterum sequenti anno 3. Cal. Febr. ubi Regni Proceres

res litteras ad Regem *Ericum Pomeranum*, quibus officii & juramentorum admoneretur, dandas unanimiter decreverunt: & nisi legibus suis frui permitteret, se eidem renunciaturos, aperte significantes. De hac ita quidam lusit.

Iustitiâ ac Musis quoque nunc illustris Aboa;
Navibus & variis mercibus ante fuit.

Septentrionalis Finlandia secundum Bothnici sinus oram ad Septentrionem proficiscens comprehendit utramque *Satagundiam*, *Wiemo* ac *Masco*, ac humectatur *Gumo-Elff* flumine, salmonum & aliorum piscium piscatu multum celebri, quem juxta civitatem *Biorneburgum*, aliis *Biernborg*, Bothnicus absorbet sinus. Inter civitates *Aboam* & *Biorneburgum* occurrunt Oppidula *Raumo*, *Nystad* & *Nadkendal*, ubi olim *Gnadental* non exiguæ celebritatis Monasterium. *Finlandia Septentrionalis.*

Biorneburgum dicitur quasi Ursorum Castrum. Habet & pro Insigni Ursum. Iuxta ingens ac celebre flumen, non procul à mari situm. *Biorneburgum.*

Olim

Olim dicebantur *Ulffzby*, quod nominis adhuc in templo & Parochia adjacente hæret.

Raumo. *Raumo* commodo situ ad Bothnici maris sinum positum. *Nystad*, Latinis *Neostadium*, florens est Oppidum etiam ad mare positum, non tam antiquum, quam dives. Vasa lignea ad circumjacentes vicinos, etiam dissitos atque exteros, copiosè & lucrosè defert, quibus navigia ad medium usque malum onerantur atque explentur, ut non navis, sed mons, iisdem viminibus artificiose constrictis, in mari appropinquare videatur. Quæ navigia etiam maximè onusta ob impletas aëre cavitates submersionem minus metuunt. Nunc caput est Comitatus *Wasaborg*. Alia hic loca minoris pretii.

Neostadium.

Associatæ Finlandiæ Regiones. *Associatæ* Finlandiæ *Regiones* sunt *Alandia*, *Caiania*, *Savolaxia*, *Tavastia*, *Nilandia*, *Carelia* & *Kexholmia*.

Alandia. *Alandia* mari veluti amnibus intersecta, inter Sveciam Fenningiamque posita, quamvis huic vicinior, Svecos tamen incolas habet. Insigne hujus duæ sunt Damæ in-

ter novem rosas. Complures comprehendit Insulas. Piscatura, avium palustrium captura, & ovis, nec non navigationibus incolæ pascuntur. Ex lignationibus & calce cocta non pauci etiam lucrum quærunt. Alcibus leporibusque abundant Regiæ venationi reservatis. Damæ hic & lupi rarissimi sunt. Comitatus est qui arce *Castelholm* munitur.

Catania, quæ & *Bothnia Orientalis*. *Caiania.*
Nominis derivatio non patet, nisi à *Kaipo* h. e. verecundus dicatur. Incolæ Svecorum soboles, eorumque maxima ex parte linguâ utuntur. Insigne sunt sex Mustellæ. Fluvios habet multos inter quos tamen præcipuus est *Kimielff* Regionem à Bothnia separant *Iiœlff* & *Ulaelff*. Fundus minime sterilis. Fruges producit ad incolarum sufficientiam; nisi inclementior interveniat tempestas. Ex pascuis & sylvis immensa butyri & picis liquidæ copia est. Nec minor piscium, præcipue Luciorum & salmonum. Oppida præcipua sunt *Usa* & *Wasa*, nec non castra *Cajaneburgum* & *Ulaburgum*.

Savo-

Savolaxia. *Savolaxia* semota est à mari, dulcibus unde undique aquis sese insinuantibus intersecatur. Dicitur quasi à fumigante sinu. Insigne habet Deauratum Arcum imposita minitantem sagitta, in fusca planitie. Ad Orientem *Kexholmensi provincia*, ad Meridiem *Carelia*, ad Occidentem *Tavastia*, ad Boream *Lappia Moscovitica*, intervenientibus aquis & montibus, continuatur. Jnnumeris dividitur aquarum fretis ac sinibus, quæ per *Woren* in lacum *Ladogam* ferè omnes exonerantur, quique soli cum dicto lacu Ladoga vitulos marinos, sive phocas, alunt. Sylvas quoties accendunt incolæ aut cespites, anguli omnes simul replentur fumo, unde dicta videtur. Frigoris hic vis tanta non est. Aquæ hic omnes fertilissimæ, variorumque piscium abundantia ditissimæ. Luciorum induratorum non alibi unquam copia major, quibus optimi frumenti affluentia respondet incredibilis. *Nyslot.* Arcem habet munitissimam *Nyslot* circumfluis aquis, ponteque ferreis catenis adductili firmata. La-

tinis dicitur *Nova Arx.* Nomen inde traxit quod miro ingenii artificio excitata artem & naturam insignis suæ firmitatis authores habeat. Siquidem rotundo innixa monti ad Occasum una porta accedentes admittit, abeuntes dimittit per ratem fluvio instratam, & magnis instructam catenis, quarum adjumento per ductorias glandes cochleas singulis matutinis & vespertinis temporibus admovetur ab iis, quibus jussu hoc facere gravis labor adhibendus est, ob nimium fluminis istius Arcem præterlabentis impetum, qui ex Albo Lacu exortus per immensæ, & quasi inexplorabilis profunditatis alveum decurrens, nigri & obscuri coloris aquas vehit, & tales etiam pisces, boni tamen saporis. Longa est 20. mill Latitudo non minus quadraginta habet.

Tavastia Ducatus est Mediterraneus, ante annos plus minus quadringentos Sveciæ Coronæ adjectus. Ab Occidente habet *Finnoricam Septentrionalem*, à Septentrione *Cajaniam*, ab Ortu *Tavastia.*

Savo-

Savolaxiam & *Careliam*, à Meridie *Nylandiam* & ditionem *Roseborg*. Hic insignis ille lacus est *Peiende*. Arcem Tavastiæ Tavastus condidit *Bigerus Ierl* anno Domini 1250, ut Tavastios, quos Regno Sveciæ adjecit, Christianamque religionem suscipere coëgit, in obsequio retineret. In Septentrionali parte hujus provinciæ *Rautalambi* ferri paludes sunt, ubi incolæ inconditam quandam ferri massam & imis lacuum fundis expiscantur, unde minimo labore impensisque ferrum variis usibus aptum conflant.

Nylandia. *Nylandia* olim à Finnis habitata, qui Svecis & Helsingis cesserunt: unde *Nova Regio* dicitur. Insigne fert Cymbam deauratam inter duo flumina. Ad Ortum æstivum *Carelia*, ad Austrum *mare*, ad Aphricum *Fenningia Meridionalis*, ad Septentrionem *Tavastia* terminus est. Cæterum *Nova* dicitur *Regio*, non quod olim nullos habuerit cultores ac semper inculta jacuerit, nuperque inhabitari cæperit; sed quod ejus Coloni, qui eam modo inhabitant, respectu reliquorum, nuper ad ea

loca

loca pervenerint. *Helsingii* namque aliique *Sveci*, ut superius dictum, illuc suas deduxerunt colonias. Pagorum id enim reliquorumque locorum pleraque testantur nomina, Finnones Careliosque ibi primum inhabitasse. Glebam habet satis uberem, nec non & piscationes, aucupia venationesq; opimas, mineras quoque ferreas. Oppida hinc sunt *Borgo* & *Helsingforts*.

Borgo antiquum est *Nilandiæ* oppidum, ad proximam maris vicinam situm. Insigne habet *Igniarium*, seu instrumentum igni eliciendo aptum. *Helinghsforts* oppidum est suo nomine clarum. *Borgo.*

Carelia Scanziæ ad Ortum Regio extrema. Dicta est à *Karia* h. e. pecudibus, quibus terræ genius favet. Insigne habet bina in solo puniceo Brachia, alterum acinace, alterum gladiis, coronæ in medio positæ, minitantia. Ab Ortu ingenti lacu *Ladoga*, & Moscoviæ finibus, ad Austrum flumine *Nieva* & mari, ad Aphricum flumine *Kymene*, ad Boream & Septentrionem *Tavastia* & *Savolaxia* latè circumdatur. *Carelia.*

Tota Regio duobus dividitur fluviis, quorum alter nomine *Pynsiocki*, Pontano *Dirasacki*, versus Septentrionem, per *Vigozero*, in sinum Album, altero verò *Povenecz*, in *Onega*, lacum illabente, à Russia dividitur. Unde fit quod Scanziam, vel Scandinaviam, ut in primis nostris institutis dictum fuit, quasi peninsulam reddat Isthmo tantum trium milliarinm Germanicorum relicto, qui *Maanselcke* nominatur. Regio vasta, ut quæ Longitudinis est 56 mill Carel. & Lata ultra 35. Olim totum illum tractum, qui inter *Kimene* fluvium, & *Petende* lacum *Onegaque* & ejus fluvium, Sveci, qui circa *Sermax* in *Ladoga* lacum exoneratur, & tum demum *Niewam* fluvium, è prædicto lacu in Sinum Finnicum illabentem, interceptum, una appellatione complectebatur. Cum Finnones proprios habebant Reges Carelia tota ad Finlandiam pertinebat. Postquam autem Sveci Finnones assiduis bellis defatigare Finlandiæque provincias pedetentim sibi tributarias facere

facere conabantur, Rutheni, ne sibi Svecorum vicinitas formidabilis foret, crescenti potentiæ occurrere statuerunt, Careliamque occuparunt. De hujus dominio diu postea varioque inter Svecos Ruthenosque decertatum est Marte, Svecis eam aliquando totam occupantibus, & Ruthenis eos interim in integrum repellentibus: donec *Magnus* cognomine *Smeeck*, Sveciæ Rex, & *Georgius*, Dux Navogardiæ, pactis fæderibus, eam inter se diviserunt, constitutis imperiorum terminis in *Systerbeck*, & reliquis ad Septentrionem locis, quæ in tabula quadam distinctis notatas videre licet puncteolis. Memorabile est quod ante annos aliquod *Iwan*. h. e. *Ioannes Wasilewitz Suski*, Magnus Moscovitarum Dux, cum à Polonis suisque admodum premeretur inq; tantas redactus esset angustias, ut, nisi fidus quidam Achates ipsi opitulatus fuisset, non solum de ejus Optimatumque omnium vita; verum totius etiam imperii patriæque salute actum fuisset, *Caroli* IX, Sveciæ Regis auxilium imploraverit.

Qui misso aliquot millium armatorum exercitu, Duce *Iacobo de la Gardie Comite de Lecco*, paucis ante annis Regni Sveciæ Archimarschallo, hostium fregit vires, Urbemque *Moscoviam*, Moscovitici Imperii sedem, ipsumque Magnum Ducem, Optimatesque ab obsidione liberavit. Unde prædictus *Suski*, simulans se tanti beneficii memorem oblatas suppetias, datis diplomatibus, *Carelogorodia*, sive *Kexholmia*, ditionem totam, una cum Civitate & arce *Carolo* IX ejusque successoribus ac Regno Sveciæ in perpetuam assignavit possessionem; sed qui more Gentis, non nisi solitis stetit pactis. Siquidem missis clanculum litteris, *Castelanum* suum *Notteburgensem* data diplomata stipendiaque, quæ miles Svecicus meruerat, in via intercipere, atque in dicto *Nottenburg*, castro invictissimo, reservare jussit, *Keckholmiamque* Svecis tradere recusavit. Orta unde inter Carolum Ruthenosque contentione, ac Moscovitici Imperii Duce in Poloni cedente potestatem, Carolu-

pro

promissam sibi *Kekxholmiam* vi occupavit, atque inde, ut concessa sibi juxta occuparet Diplomata, complures Ruthenicas occupavit arces, ac simul *Magnam* ingressus est *Novogardiam*. Concedente post fatis *Carolo*, filius ejus Gustavus Adolphus, patris in Imperio successor, inchoatum continuavit bellum, *Nottenburgumque* inedia ad deditionem adegit, & diplomata, de quibus hactenus disputatum fuit, in suam recepit potestatem; Ruthenosque tam diu suis fatigavit cladibus, donec tandem *Ivani*, sive *Joannis*, Successor, Moscovitarum Dux, *Michaël Fiedorowicz*, compulsus fuerit, anno salutis humanæ 1617 Antecessoris sui prædicti super *Carelogorod*, ejusque ditione, data Diplomata confirmare, ac insuper arces *Nottenburgum*, *Ivanogorod*, *Iumagonorod* & *Capuniam*, ejusque ditiones, scilicet *Iugriam*, eidem Sveciæ Regi Gustavo Adolpho, ejusque successoribus, in perpetuam assignare possessionem: pacemque æternam Diplomate ac juramento stabilire.

Qua ratione *Carelia* Ruthenica, sive *Kekxholmia*, in perpetuam Regni Sveciæ possessionem venit. Hujus oppidum.

Wiburgum. *Wiburgum* est Carelliæ Caput, & sedes Episcopalis. Vallorum, fossarum, propugnaculorum & validi Arcis tutela hostiles arcet impetus. Hanc Russi, seu Moscovitæ, centies mille militibus frustra aliquoties obsidentes experti sunt. Mercaturam exercet frequentem & opulentam. Ab *Abboa*, Finlandiæ Oppido octidui ferè distat itinere. Conditor ejus fuit *Turgillus Kuntsonus*, qui hac Careliæ parte Regno Sveciæ subjectâ, ut in debita Regionem obedientia contineret, & Russorum cohiberet invasiones, circa annum Christi 1193, hoc erexit Oppidum *a*. In hujus maritimæ Urbis vicinia speluncam ajunt subterraneam, ex qua, si Animal aliquod vivum conjiciatur, tam horrendus sonus prodeat, ut homines eum auditu haurientes, vel auditum, vel loquelam, vel consistendi amittant facultatem, vel moriatur plane. Memorabile

a Olaus Magn: l. 11. c. 4. & 5.

rabile fertur, vel ridiculum, quod Oppidi hujus Præfectus, instante aliqua belli occasione civibus suis præcipiat, ut unusquisque aures cerâ obturans cellas ingrediatur & cavernas, ac quod inde ipse probè munitus accedat, & animam protinus ad speluncæ fauces conjiciat. Hoc facto tam horrendum sonum existere, ut hostes, si qui forte adsint, mactatarum instar bestiarum concidant, & tam diu insepulti jacent, quamdiu incolis placeat, ut ab illis spolientur. Fabulæ. Sequentia porro verba addit: *quocasu evenit, ut qui armis ac viribus à bellico furore reprimi non poterant, solo terrore mugientis naturæ tabescant, pristinum vitæ robur vel tarde, vel nunquam recuperantes. Hujus autem specus ratio, ut undecunque constet, à provido semper viro dirigi ac custodiri debet, etiam inter plures & circumpositos muros.* Notari hic simul possunt, quæ alter ad hæc scripsit. Si hæc vera essent, qui fieri potuisset, ut Dani anno 1456 Urbem occupaverint, & adjunctam excusserint ar-

cem *a*. & Ruſſi obſidione, quamvis irrita, anno 1490 cinxerint.

Kexholmia eſt pars illa Careliæ quam diximus juſtis belli conditionibus ceſſiſſe Svecis paucis ante pagellis. Primariam ejus Urbem anno 1580 *b*, vel 1581 *c*, occupavit *Paulus de la Gardie*, homo origine & natione Gallus, heros aliàs incomparabilis: maxima & præclariſſima facinora edidit, invictamque Livoniæ Urbem *Narvam*, cum pluribus aliis in Svecorum redegit poteſtatem, ultimoque in Narvenſi rivo ſubmerſus obiit. Pacem inde Sveci ineuntes anno 1595 eam Ruſſis reddiderunt, quibus fidem datam fallentibus Rex *Carolus* itidem eripuit, & Sveciæ adjunxit Regno, à quo tempore cum viciniis hactenus poſſidetur à Svecis. Cæterum *Kexholmia* denominata eſt à Finnico vocabulo *Kekiſulmi*, compoſito ex *Keki* h. e. Cuculum, & *Salmi* h. e. Mare anguſtum, quod duas ſitu ſuo obtineat parvas inſulas in faucibus fluvii *Woxen*, qua in *Ladogam* paludem undas ſuas exerit, celerrimoque præ-

a *Martin. Zeil in Deſcript. Svec. p. 193. ex Meurſ. l. 1. Hiſt. Dan. & lib 2.*

b *Chytræus.*

c *Salmo Henning, in Chron. Livon.*

præterlabens fluxu eandem reddit munitissimam. Distat *Wiburgo* quindecim, & *Nottenburgo* totidem milliaribus: ab Albo Mari, sive *Ladoga Lacu* dimidio, 15 verò ab Urbe *Ladoga*. Nota hic obiter *Ladogam* lacum quadraginta & quinque milliaria continere in Longitudinem.

INGRIA.

INGRIÆ Dominatus ultra Scandinaviam accessit, qui ab Ortu flumine *Laba* & *Russiâ*, ad Meridiem eadem *Russiâ* & flumine *Luga*, ad Occasum *Narva* & *mari*, ad Boream fluvio *Nierva* & Lacu *Ladoga* à Carelia disterminatur. Nunc *Narvæ* Gubernatori subest. Insigne duæ Portæ, totidem globis candentibus, hastis vexillisque cancellatim positis exornatæ. Ruthenis *Isera* vocatur. Solum habet fertile fluviosque piscosissimos, necnon & omnis generis venationes atque aucupia. Inter venationes præcipua est *Alcium*, quos Sveci *Elgh*, Germani *Elent* vocant, Poloni *Los*. Hæc animalia bis in anno maxima copia per flumen *Nieva* *Ingria.* *Alcium venatio.*

transeunt. Primo enim Vere è Russia catervatim transeunt in Careliam, & Autumno rursum remeant in Russiam, & in utroque transitu capiuntur frequentissimâ copiâ. Habet item hæc Regio Castra fortissima, quæ hactenus claves fuerunt Ducatûs Moscovitici, quibusque ne similia quidem Moscus in toto suo habet Regno. In ostio lacus Ladoga Arx est invictissima, & muris immensæ crassitiei *Nottenburgum*, Fennis *Pachkensau*, Russis *Orzeszka*, quod nucem sonat: quia sita est in insula nucis formam repræsentante, loco admodum amæno, quem aliæ minores insulæ aviumque plenæ circumstant, ad faciem rapidissimi fluminis *Niewa*, ob cujus amplitudinem nulla tormentorum vi attingi & quassari potest. *Gustavi* tamen *Magni* & incomparabili Principis virtute victa, mirabili casu sese dedere coacta fuit. Non enim annonæ inopiâ laborabant præsidiarii, sed verrucæ in palato & faucibus eorum exorientes ipsos cibum sumere, & per fauces demittere impeditos fameque necatos.

Nottenburgum.

tos hostium tradidêre potestati. Atque hoc pacto celeberrimum hoc *Ingriæ* vel *Ingermanlandiæ* munimentum in Svecorum potestatem incidens Pacis anno 1617 cum Russis factæ beneficio Regum Sveciæ proprium ac hæreditarium est. Anno 1581 Sveci ejus expugnandi laborem vanum susceperant, quod idem ipsis anno 1555 contigerat. Memorabile est quod quidam de illius obsidione ita scripsit a: *Notenburga oppidum & arx in Russia ad* Nyam *fluvium, qui duodecim infrà* Notenburgam *milliaribus mari Finnico inter* Wiburgam *&* Coporiam miscetur, ac distant inter se *tria oppida* Wiburg, Kexholm, *Careliæ Russicæ metropolis, &* Notenburga *triangula æquiangulâ figurâ, cujus singula latera quindecim continent milliaria. A* Kexholmia *dimidio milliari* Lacus Albus *quadraginta quinque milliaribus porrectus in Septentrionem, qui Regnorum* Sveciæ *&* Russiæ *limes est, incipit, In cujus insula* Ladiga, *aliis* Ladoga, *oppidum quindecim à* Kexholmia *milliaribus situm est, à quo* Ladigæ *lacum vicini appellant. Ipsa* Noten-

a *Chytræus lib. 18. Saxon. p. 478.*

burga *ad ripas fluminis & lacuum sita est, & ab una parte ob paludes interjectas tormenta admovere nequiverunt.* Sveci *obsessuri eam anno* 1555, *sed ex insula fluminis rapidissimi oppidum alluentis sola oppugnari machinis munitiones firmissima insulæ opposita potuerunt. Ergo relicta obsidione* Wiburgum *redierunt.* Alter hunc ita describit locum *a. Notenburga aqua, Regio amæna eam circumiens, ac nonnullæ insulæ parvæ, avium aquaticarum domicilia, summam conciliant amœnitatem. Ab Æquatore* 3 *Gradibus*, 30 *scrupulis dimota ostium obsidet paludis* Ladogæ, *sedemque habet in insula parva, ac nucis speciem præ se fert, unde & ipsi nomen ortum. Murus duas & dimidiam orgyas latis cincta à Russis, & occupata deditione à Svecici exercitus Imperatore* Jacobo de la Guardie, *postquam ex præsidiariis insolito morbo absumptis duo tantum, ut fertur, adhuc superstites essent. Ob dulces aquas & terram paludibus ubique perforatam locus non admodum salubris esse videtur. Mense Julio anno* 1634 *tanta ibi Culicum singularis alicujus speciei erat multitudo, ut cœli sudi spatium ne manum quidem latum conspici potuerit.*

a *M. Adam Olear. fol.* 3. *Itinerarii.*

Est:

Est in Ingria & Oppidum *Iama*, seu *Iamagorod* munitissimum, in margine fluenti *Iamische Beck* nuncupati. Imperii Moscovitici clavis. Hoc cum tota diœcesi sibi subjecta anno 1607, beneficio pacis cum Moscis initæ, in æternam Svecorum possessionem abiit. E regione loci trans fluentum quoddam municipium Russi, sed Svecorum juris, inhabitant. Hinc via ad munitionem *Capurgam* & porro *Notenburgum* ducit. *Iamagorod.*

Item *Ivanogorod* Narviæ opposita arx est fortissima, in isthmo flumine rapidissimo cincta, in rupe ædificata, muro turribusque firmissimis munita, quam etsi Occidua parte, qua *Narvam* spectat, tormentis quassaueris, aditum tamen à Meridie, Occidente & Septentrione prohibet flumen rapidissimum, quod inter *Narvam* dictamque arcem interfluit. Ab Oriente natura è monte vallem excavavit latissimam valdeque profundam, in cujus fundo subjecti Oppidi cives habitant. Exterius solum planum, tamque altum *Ivanogorod.*

eſt, ut ſola turrium cacumina tormentis attingere liceat, inferioribus intactis manentibus. Nec cuniculos agere poſſunt, fundus enim totus eſt lapideus. Habet præterea ea Regio *Capriciam* ſitu & arte arcem munitiſſimam.

LIVONIA.

Livonia. LIvonia *Lyſland*, ſive à *Lych* gratus, & amabilis, ſive à *Lyff* i. e. vita. Regio tota paludibus & ſtagnis referta: pluribus irrigua fluminibus & rivis humectata perennium aquarum nullâ laborat penuria. Nullo item piſcium defectu, qui numero incredibili, cum ex finitimo mari, tum ex fluviis, paludibus & ſtagnis ſuppetunt habitatoribus. In Orientali latere lacus eſt ſatis grandis nomine *Peipus*, ſeptuaginta duos in ſe recipiens fluvios, cujus dimidia pars Moſcovitico, altera Livonico ſubjicitur dominatui. Duplex autem major & minor ferè in media longitudine arctiori riparum coitu, anguſtius fretum efficiente, disjungitur. *Minorem* inſularum

larum parvarum frequentia scatentem *Welicka* & *Wop* fluvii subeunt. *Ille* ab Urbe Moscovitica *Pleshors* descendens ripam Australem; *hic* ab oppido Livonico *Nienhusen* defluens Occidentalem secat marginem. Aquas horum fluminum cum suis Minor in majorem ingerit Lacum. *Major* fluvium *Embeck* ab Urbibus Livonicis delabentem & alios Occiduo, & nonnullos ex Moscovia defluentes Orientali excipit margine. Insulam *Palanki* majusculam cingit. Prope *Nyslot* in *Alentackia* exitum inveniens longiore alveo *Narva*, ad civitates *Germanicam* & *Russicam Narvam*, hanc dextra, illam sinistra ripa lambente aquas suas in Finnicum exponit sinum. Alter Lacus est *Werczer*, situs inter lacum *Peipum* & magnum Livoniæ sinum; proprior tam illi quam huic. Fluvio *Embeck* emisso Lacum *Peipus* aquarum suarum participem reddit. Sunt item Lacus & alii, *Lubanskensis &c.* Fluviorum Livoniæ princeps est *Duna* vel *Duina*, cujus origo ex Moscovia dicitur. Frumenti hic, ceræ,

Germanica & Russica Narva.

ceræ, mellis, canabis, lini, pellium pretiosarum largitas est maxima. Cicurum animalium abundantia item summa, & in sylvis par ferarum & avium affluentia. Sylvarum enim multitudo vestitum producit ac tecta, aliaque multa homines cumulat utilitate. Inter arbores *Betula* copiosa ac frequens admodum, cujus vulneratæ liquores mense Majo rustici collectum bibere solent, atque calculo mederi *a*. Equi, qui in hac aluntur regione, alacritate & generositate mirâ excellere dicuntur. In sylvis occurrunt apes, alces, vulpes, lyncei, martes, zabelli, hermelini & castores. Lepores coloris & pellis mutatione anni sequuntur tempestates, & hybernis temporibus albis vestiuntur pilis; æstivis autem mensibus eosdem habent cinereos. Equi, boves & pingues porci non minus copiosi, quam viles exiguo pretio comparari possunt. Qui antiqui populi hanc olim incoluerint regionem legi potest *Merisosius b* his verbis: *Post Wistulam* Sarmatia *incipit* ,,

a Johan. Bapt. ab Helmont in Tract. de Lithiasi.

b lib. 1. Orbis Maritimi. cap. 36. p. 258. & 259.

cipit, intus quam ad mare latior. Populi maritimi ad Venedicum sinum Githones, Venedesque *qui postea* Borussi, *mox* Prussi *dicti sunt &* Hossii, *quos* Chronon (*h.e. Niemen*) Rubon (*h. e. Duna*) Taruntus *&* Chersonus (incerta nomina) *alluunt. Sequuntur* Aorsi *alias* Scythæ *degeneres & à servis orti, tum* Agathyrsi, Sali, Careotæ, Carbones, Pagyritæ, Samogitæ, Masorii, Lithvani *&* Mosci, *solis nominibus olim cogniti, Sic* Sarmatia *tot populos complexa, in* Scytharum, *pene etiam in* Germanorum *confinia & nomen pertransiens, à Septentrione Oceano, à Meridie Mysia & Dacia, ab Occasu Vistula amne, ab Oriente Tanai, Meotide & Ponto terminatur. Sed antequam in Sarmatiam Europaam transeam, quæ duobus amnibus Tanai & Tyra concluditur, non omittenda est* GOTHIA, *omnium insularum, exundanti Gentium variarum examine celebratior. Hæc in Venedico sinu, ante Chersini ostia jacet, mater* Gepidarum, Rugiorum, Vandalorum, Longobardorum, Herulorum, Turcilingorum, Hunno-

rum,

rum, Vinulorum, VisiGothorum, Ostro-Gothorum & Gothorum *Infesta & formidata terris nomina.* Livonia ergo aut Sarmatiæ Europææ, aut Germaniæ olim pars procul dubio, diversis habitata populis incolas suos mutasse credibile est, cum sæculis istis Gentium & Populorum migrationes frequentiores sæpius homines in novas transtulerint sedes. Recentioribus sæculis Livonia *Ordini* paruit *Livonico*, sive *den Sweerdbrudderen*, h. e. Fratribus gladios gestantibus, inde ita dictis, quod gemini gladii in eorum palliis figurati essent & insuti. Hic Ordo circa annum salutis 1202 aut 1203 primum Ordinis sui Magistrum habuit *Vinnonem*, Causa instituti Ordinis fuit, *ut à Livonianis idololatriam arcerent. Sed cum impar tanto honori virtus esset, hostiumque numerus in dies cresceret. Fratres isti* Ferentes gladios sumptis Teutonici Ordinis Insignibus, eidem aggregati sunt anno 1237 *a*. Alii volunt hujus Ordinis ortum ad ducentesimum quartum sæculi millesimi annum referri:

a *Morisot. in Orbe Maritim. l. 2. c. 16. p. 435.*

ri *a. Teutonicus* autem *Ordo*, qui cum cæteris provinciis *Livoniam* quoque possedit, sedem suam *Windæ* habuit in *Curlandia*. De horum institutione ita *Morisotus*: *Horum Institutio in certo authore, qui è Germania fuit, refertur ad annum salutis* 1091. *Alio nomine fratres* Xenodochii Beatæ Mariæ Hierosolymitanæ *vocantur. Primum Magnum ordinis Magistrum, ut ipsi vocant.* Henricum Valpotium (*de Valpot*) *habuerunt, sub quo magnum* Xenodochium *in* Acra *Urbe*, quæ *olim* Ptolemais *dicebatur, erectum est. Horum munus & officium, pauperibus & languentibus opitulari, pro fide contra infideles pugnare.* Syria pulsi *anno* 1229 Fredrico II *Imperatore* Borussiâ *quæ nunc* Russia, *donati sunt, cujus populi idolis servientes* Saxoniam *vastabant. Fratribus Teutonicæ domûs* Hermannus Salzans *imperabat, qui, fractis prælio Prussis, in eodem loco in quo pugnatum est, ad* Vistulam *fluvium de nomine Beatæ Mariæ, Ordinis Teutonici tutricis & patronæ* Mariæburgum *fundavit. Addita huic victoriæ* Livoniæ, Litvaniæ: Poloniæ & Mosco-

Item a Caspar. Hennenberger. in majoris typi Borussici explanatione fol. 364.

Moſcoviæ *partes. Tentata deinde maria, occupata* Gothlandia, *validiſque præſidiis firmata victis prælio navali* Vitalianis, *qui eam inſulam à Rege Sveciæ* Alberto *tenebant.* Albertus *ulturus injuriam de* Roſtochio *&* Wiſmaria *infelicibus auſpiciis ſolvens anno* 1399 *in ora Pruſſiæ, commiſſo prælio fugatus eſt. Additæ victrici claſſi captivæ naves, & in* Samagetas (Maſſagetæ *antiqui putantur) pugnatum ingenti cum repugnantium clade. Sed, ut ſolet in humanis ingeniis, felicitas* avaritiam, ſuperbiam *&* tyrannidem *patefecit. Hinc vicinorum in eos odium & bella, donec perirent. Nam cum Magnus hujus Ordinis Magiſter* Albertus *bello à* Sigiſmundo *Poloniæ Rege fractus reſurgere ad arma non poſſet, Ordine exterminato à Victore Ducatum* Boruſſiæ *in feudum accepit, quem ſuis hæredibus tranſmitteret, quibus deficientibus Pruſſia accederet Poloniæ nunquam ab eo regno ſeparanda. Sic* Albertus *anno* 1525 *abdicato Teutonicæ domus Ordine primus Pruſſiæ Dux creatus eſt. Cæteri vero ejuſdem Ordinis in deficientis locum alterum* Albertum, Wolfangum *cognomine, ſuffecerunt;*

pulsisque Prussiâ, in eas terras Germaniæ abiverunt, in quibus Imperatorum superiorum beneficio ingentis reditus beneficia agrosque possidebant, durantque in Germania ad hanc usque diem, conservati sub Maximiliano Austriaco *Magno Ordinis Magistro.* Porro Livonia olim Archiepiscopatus fuit, *Riga* sedem suam habens. De cujus origine plerorumque Scriptorum opinio hæc est. Anno sexagesimo supra sæculum à nato nostro Servatore undecimum Bremenses in Livoniam delati incolis ad Christianam fidem ab Ethnicismo suo deducendis operam dare ceperunt. Ando ejusdem sæculi septuagesimo *Menardum*, Monachum quendam Segebergensem, qui Lubecæ commoratus cum Bremensibus in Livoniam se contulit, primum Episcopum instituit Papa, ut religio Christiana majori contentione & studio propagaretur. Post eum Bremâ missus *Bertholdus* Urbis Rigæ conditor ab incolis occisus. *Albertus* anno 1196 ex Collegio Bremensi eodem ablegatus Episcopus fuit tertius, qui

Livonia Archiepiscopatus.

Bertholdus Urbis Rigæ conditor.

qui Urbem Rigam sæculo duodecimo mænibus inclusit. Hic *Fratres Exercituum Christi*, seu *Fratres gladios ferentes*, aut *Crucis propugnatores* (diversis nominibus insignitos quidam *Templarios* fuisse arbitrantur) religionem Christianam protegendi causa in Livoniam accersivit, ea conditione, ut tertiam regionum, quas occupaturi essent, partem sibi propriam servarent. Horum primus Magister *Vinno* fuit. Infælicia prælia tamen plerumque facientes auxilium imploravêre *Marianorum*, sive *Germanorum Equitum* in Borussia: cum quibus sub *Alberto II* Episcopo quinto, qui Archiepiscopus eodem tempore factus est, ejusmodi pactum est initum: Ut Episcopi Borussiæ Rigensi Episcopo, Livonici verò Equites Magno Equitum Borussiæ Magistro subjecti essent. Archiepiscopus autem Rigensis Imperii Romani Archiepiscopis annumeratus inter eos septimus habebatur. Multæ autem interea lites & controversiæ utrinque oriebantur, quæ vires utriusque

que

que partis haud leviter proſtraverunt. Anno 1513 Livonici Equites ſub Magiſtro ſuo *Walthero à Plettenberg*, Magno Magiſtro *Alberto Marchioni Brandenburgico* pecuniæ ſummâ haud exiguâ perſolutâ pactam obedientiam & ſubjectionem redemerunt ipſeque Magiſter Imperii Romani Princeps ab Imperatore renunciatus eſt. *Albertus Brandenburgicus Sigiſmundo Auguſto* Poloniæ Regi, Avunculo ſuo ſe ſubmiſit anno 1325, & ex Principe Eccleſiaſtico ſæcularis factus eſt. Submiſſione hac Magnorum Magiſtrorum potentia, quæ ad trigeſimum quartum pervenerat, finem ſortita eſt. *Livoniæ* autem *Magiſtri*, qui *Windæ* in *Curlandia* ſedem ſuam habebant, in Archiepiſcoporum multis controverſiis ac litibus ſe mutuo exercentes, tandem anno 1557 eas bello finire tentarunt. Silveſter Epiſcoporum decimus octavus Riga Urbe, in qua anno 1522 Confeſſioni Auguſtanæ introductæ Romono-Catholica religio cedere coacta fuerat, excidit. Civibus verò libertatem Reli-

Religionis confirmarat Equitum Livonicorum Magiſter, Urbem Archiepiſcopo ereptam eidem, ſententiâ latâ Cameræ Spirenſis Judicium Cæſareum reſtituendum adjudicaverat. Sententiæ refragabantur cives Magiſtri Livonici partes ſequuti. Anno 1563 Archiepiſcopus *VVilhelmus Marchio Brandenburgenſis* ex hac vita deceſſit. Hujus Coadiutor *Chriſtophorus* Svecorum, qui Polonis infenſi erant, auxilio fretus, & Archiepiſcopatum ſibi vendicare conatus, in captivitatem incidit, & in Polonia quinque vel ſex annorum ſpatio captivus detentus eſt. Interea Archiepiſcopatus *Rigenſis*, *Boruſſiæ*, *Revaliæ*, *Curlandiæ*, *Oeſiliæ*, *Derptæ* & *Habſaliæ* Epiſcopatibus imperans etiam expiravit, & anno 1566 in Ducatum mutatus eſt. Ipſe autem *Chriſtophorus* anno 1592 diem obiit *a*. Inteſtino hoc bello utramque partem frangente interea rerum ſuarum ſatagens Magnus Dux Moſcoviæ, facto in Livoniam impetu modo hanc, modo illam Urbem in poteſtatem ſuam redegit.

a Neugebauer. l 8. Hiſt. Pol l. 4 p 609. Lundorp. l. 4. contr. Sleyd. p. 152.

Sveci

Sveci quoque commodi sui haud obliti, diversorum locorum partim sponte, partim vi in suam concedentium potestatem potiti sunt, ut ex sequutura peculiari cujusque loci descriptione patebit. *Joannes* inde Basilides (domi *Iwan Wasilowicz*) Magnus Moscoviæ Dux, anno 1528 natus anno vero 1540 regimini admotus, postquam aliquoties Livoniam adortus fuisset, tandem, Livonibus ingenti prælio victis, *VVilhelmum Furstenbergerum* Ordinis Livonici Magistrum captivum fecit, ac in Moscoviam misit, ubi misera morte periit. Nobiles hastis affixos horrendâ trucidavit morte, & incredibilem exercuit tyrannidem a. In tantas angustias redacta Livonia à Cæsare *Carolo V* anno 1551 opem & auxilium petiit; sed huic permissum fuit ut vicinorum Magnatum tutelæ ac patrocinio se committeret. Ea occasione *VVilhelmus Archiepiscopus* cum Magistro Equitum in Poloniæ Regis potestatem cum potissimâ regionis parte concessit. Reliquarum

a *Tilmannus Bredenbach in Hist. Bell. Livonici.*

partim Sveci, partim Moscovitæ Domini erant a. In Livonia quinque sunt in usu linguæ, Germanica, Svecica, Esthria, Livonica & Lettia. Mores Gentis, ritus & bella facile quis legat apud *Guagninum*. Religio hic varia. Invenias in pagis, qui ethnico more vitam degentes, Soli, serpentibus & aliis creaturis divinum exhibeant honorem, mortuos summa sepeliant cum hilaritate: cadaveri securim, cibum, potum & pecuniam, ut viaticum habeat, apponunt, dicuntque: *In alium mundum proficiscere, & ibi Germanis dominare, quemadmodum in hoc mundo in te dominati sunt.* Nostri verò sæculi Livoniam perpulchrè descripsit *M. Adami Olearii* b. *Livonia à Duna fluvio usque ad Finnicum Sinum in* Lettiam *&* Esthoniam *dividitur.*


a *Chytr. in Saxon.*

b *In Itinerario Persico.*

Estonia:

ESTONIA *quinque comprehendit Circulos*, Harriam Wiciam, Alentackiam, Ierviam *&* Keckelandiam. *Terræ sunt mira luxuriantes fertilitate, frumentique feracissimæ. Ac quanquam bellis vastatæ in solitudines ac sylvas mutatæ sunt, diligens*

tamen




A.
S. Nicolai Pfarrkirch
das Schloß

tamen & annua cultura haud exiguam earum partem quotannis arborum sectione, radicumque exustione in agros commutatam ad pristinam revocat fertilitatem, adeo ut etiam primo statim anno speratos proferat fructus. Rem quoque pecuariam incolarum cura & studium singulare prolixo & largo commodo sibi inservire jubet. Ferarum minorum venatio, & avium sapore suo grato palatum mirè afficientium dives aucupium faciunt, ut longe viliore pretio, quam in Germania, deliciæ illæ comparari queant, cum lepus ut plurimum quatuor grossis, h. e. vigesima circiter imperialis parte, comparari queat, pro quo pretio venalis etiam habetur Gallus.

Harria, vulgo *Harrenland*, districtus sinui Finnico latere suo Septentrionali appositus ad Ortum *Viriæ* jungitur. Occiduum littus freti, quod inter ipsam & *Daghoe*, vel *Dagerœrt*, insulam se insinuat, fluctibus tunditur. Qua in Meridiem inclinat, *Wiciæ* est contigua. Hujus metropolis est *Revalia*, quam *Zeilerus* ita describit. Commodissimo situ Finnicum sinum tangit, & *Wessenbergâ* quin- *Narvia.* *Revalia*

decim milliaribus removetur. Parva quidem sed admodum munita, amæna & ædificiis pulcherrimis exornata, cum Arce editiorem locum occupante, & bellicis operibus insigniter firmata. Anno 1374 venditione in Magni Magistri Livoniæ potestatem venit. Anno 1561 à *Moscovitis* vexata Sveciæ Regis tutelæ se commisit. Fuit autem sedes Episcoporum Revaliensium, quorum ultimus fuit *Mauritius VVrangel.* *Olearius* eam ita describit a: *Revalia, Longitudinis gradui 59, min. 30 subjecta, Sinus Finnici margine sustinetur. Fundationis authori* Waldemaro II, *qui Daniæ Regnum tenuit, ortum suum acceptum fert, & anno salutis* 1240 *ex primis surrexit fundamentis. Ædificiorum splendore ac propugnaculorum, vallorum & murorum lapideorum firmitudine Urbem Rigam sibi præponi vix patitur. Hinc Moscovitæ, qui duabus vicibus exercitu validissimo ipsam circumsederunt, & globis frequentissimis ex majorum tormentorum tubis ejectis verberarunt, quod vestigia hoc nostro adhuc tempore visui subjecta quod arcem*

a *In Itiner. Persico.*

cem in Toninghberga *monte testantur.* Emporium est celeberrimum, & negotiationi ac navigationi adeo idoneum, ut ad mercaturam ipsi situm Natura destinavisse videatur. Portum possidet naves à quibusvis periculis & incommodis defendentem, ac stationem tutissimam ipsis præbentem. Hujus beneficio mox, postquam ex primis fundamentis emersit, commercia cum ipsius origine surgentia temporis progressu tanto aucta sunt incremento, ut incolæ opulentissimi facti Civitatem ipsam pulcherrimorum ædificiorum ornatu decoraverint. Testantur id ædificia tam publica quam privata insigni splendore conspicua, ut sunt Templa, Cænobia, reliquaque ædificia omnia, & muri ac mænia civitatis, quorum omnium elegantia cum opulentia incrementum sumpsit. Passim autem quævis ædificia ex coctis exstructa lapidibus, & ita comparata sunt, ut incendia orta eo facilius extingui possint, ne ulterius grassantia in granariis ac cellis damno afficiant merces. Fuit

Portus Revaliæ

hæc Civitas jam ante quadringentos annos in celeberrimam Anseatici fæderis societatem adscita, & una cum civitatibus *Riga* & *Dorpato* ejusdem membrum facta. Ideo adhuc *Stapula*, seu jure sistendi mercatus fruitur, quod privilegium singulis vicibus, quibus Sveci cum Moscoviticis pacem iniverunt, ratum habitum & confirmatum est. Cives Augustanam profitentes Confessionem proprios habent Superintendentes, ut vocant, & Consistoria, sive Conventus sacros: item Concionatores, qui ferè quotidie in templis concionando munere suo diligentissimè funguntur. In Gymnasio juventuti bonis litteris & humanioribus artibus inbuendæ Viri doctrina singulari præditi aluntur, qui, studio & contentione summa erudiendis adolescentibus operam dantes, singulis annis studiosos non parum in humaniori doctrinâ exercitatos *Dorpatum*, inque alias dimittunt Academias. Ipsa Civitas regitur Democraticè, à Tribubus, Senioribus & præcipuis civibus, qui omnes

Stapula.

omnes cum Concionatoribus in summa viventes concordia, non solum civitatem laudabili gubernant rectione; sed etiam salutem ejus pro virili promotam incolumem servant.

Vicia Orientalibus finibus *Iervi-am*, Septentrionalibus *Harviam*. Occiduis fretum Maris Balthici, insulas *Dagoë* & *Osiliam* à Continente secludens, Meridionalibus *Odepoam* attingit, & complectitur oppida non pauca, inter quæ præcipua sunt *Habsalia* & *Pernavia*. *Viciai*

Habsalia, vulgo *Habsel*, in littoris Meridionalis Sinum Finnicum complectentis, seu Livoniæ Septentrionalis marginis extremo apice, qua anfractus maris sinuosus in terram se ingerit, situm nacta est. Oppidulum olim Svecorum potestati subditum fuit, ac venditum postea Danis *a*, vel *Fedrico* II Daniæ Regi *b*, à præsidiariis militibus Svecis octoginta mille florenis, quod diuturno tempore stipendia ipsis soluta non fuerint. Moscovitæ illud sui juris fecerunt cum arce *Vickel*; ex iisdem locis iterum à Svecis *Habsalia.*

a *Michael Lundorpius in continuati Sleydani tom. 2.*
b *Schadeus in Continuato Sleydano.*

Svecis ejecti anno 1581, recuperantibus multa loca, quæ ipsis à Moscovitis erepta fuerant.

Parnavia. *Parnavia* est civitas quæ à fluento *Parnaw* nomen trahit. Membrum est Anseatici fæderis, situmque obtinet in sinistro Ostii latere, per quod in Sinum Livonicum Parnaviæ fluvio datur introitus. Potissimum huic lucrum ex frumenti, quo abundat, negotiatione. Primus ejus loci dominium acquisivit *Ericus* Sveciæ Rex superioris sæculi anno sexagesimo secundo, quem cum arce eidem extorsit *Poloniæ Rex* ejusdem sæculi anno sexagesimo quinto. Polonis ereptus est à Moscovitis eum tenentibus usque ad annum octogesimum primum, quo *Sveci* eum receperunt. Reversum postea ad *Polonos*, tandem *Sveci* anno decimo septimo præsentis sæculi recuperatum hactenus in sua habent potestate.

Alentakia. *Alentackia* inter Sinum Finnicum & Peipus Lacum. Narva fluvio ad Ortum, Viciæ destrictu ad Occasum terminatur. Loca ejus præcipua sunt *Narva* & *Nieslot*.

Narva.

Narva, Germanica dicta, ut à Russica trans flumen *Narvam* sita discernatur, in ejusdem sinistrâ fluminis ripâ sedem habet. Ambitu non admodum est magno. Cincta vallis ex lapide constructis, & propugnaculis admodum firmis defenditur, eo quod in finibus posita primum hostilem impetum, si quis ingruat, sustinere cogitur. Unde fit quod præsidium numerosum & firmum ipsam tueri soleat, sub regimine Gubernatoris Svecici, qui in Arce flumini insidente commoratur. Anno 1635 his locis præfuit, ut & Ingermanniæ *Ericus Guldenstierna*. In dextra fluvii ripa conspectui patet Arx *Ivangorod*, triplici muro lapideo circumdata, & à Moscovitis ædificata, quam Rex *Gustavus Adolphus* occupatam Svecico adjunxit Regnô. A tergo Arcis locus est palis ligneis septus, in quo Russi habitant, libero Græcæ religionis exercitio utentes permissu Regis *Gustavi Adolphi*, cognomine *Magni*. Qui jure Civitatis gaudent Germanico idiomate Augustanæ Confes-

X 5 sionis,

Svecis ejecti anno 1581, recuperantibus multa loca, quæ ipsis à Moscovitis erepta fuerant.

Parnavia. *Parnavia* est civitas quæ à fluento *Parnaw* nomen trahit. Membrum est Anseatici fæderis, situmque obtinet in sinistro Ostii latere, per quod in Sinum Livonicum Parnaviæ fluvio datur introitus. Potissimum huic lucrum ex frumenti, quo abundat, negotiatione. Primus ejus loci dominium acquisivit *Ericus* Sveciæ Rex superioris sæculi anno sexagesimo secundo, quem cum arce eidem extorsit *Poloniæ Rex* ejusdem sæculi anno sexagesimo quinto. Polonis ereptus est à Moscovitis eum tenentibus usque ad annum octogesimum primum, quo *Sveci* eum receperunt. Reversum postea ad *Polonos*, tandem *Sveci* anno decimo septimo præsentis sæculi recuperatum hactenus in sua habent potestate.

Alentakia. *Alentackia* inter Sinum Finnicum & Peipus Lacum. Narva fluvio ad Ortum, Viciæ destrictu ad Occasum terminatur. Loca ejus præcipua sunt *Narva* & *Nieslot*.

Narva.

Narva, Germanica dicta, ut à *Narva* Russica trans flumen *Narvam* sita discernatur, in ejusdem sinistrâ fluminis ripâ sedem habet. Ambitu non admodum est magno. Cincta vallis ex lapide constructis, & propugnaculis admodum firmis defenditur, eo quod in finibus posita primum hostilem impetum, si quis ingruat, sustinere cogitur. Unde fit quod præsidium numerosum & firmum ipsam tueri soleat, sub regimine Gubernatoris Svecici, qui in Arce flumini insidente commoratur. Anno 1635 his locis præfuit, ut & Ingermanniæ *Ericus Guldenstierna*. In dextra fluvii ripa conspectui patet Arx *Ivangorod*. triplici muro lapideo circumdata,& à Moscovitis ædificata,quam Rex *Gustavus Adolphus* occupatam Svecico adjunxit Regnô. A tergo Arcis locus est palis ligneis septus, in quo Russi habitant, libero Græcæ religionis exercitio utentes permissu Regis *Gustavi Adolphi*, cognomine *Magni*. Qui jure Civitatis gaudent Germanico idiomate Augustanæ Confes-

sionis studiosi sunt, & Germanica lingua conciones audiunt. Civium hic copia satis magna ob negotiationem & iter, quo Narvâ Novogardiam in Moscoviam tenditur, & plurimis tam mercatoribus, quàm aliis frequentatur. Primus Urbis hujus Conditor fuisse fertur Rex Daniæ *Waldemarus II.* anno Domini 1223. Anno 1558 *Moscovitæ* eam in suam redegerunt potestatem, quam *Sveci* anno 1581 cum *Russica Narva*, *Iamogorodia*, *Ceponiâ* & præfectura Livonicâ *Wittenstein* eripuerunt Moscovitis; sed qui receptâ *Iammâ* & *Iammogorodia*, milliaribus quatuor *Narva* distante, anno 1590 *Narvam* Urbem in tantas conjecerunt difficultates, ut Sveci ejus conservandæ causa *Ivanogoradam*, in altero fluminis margine sitam, ipsis reddiderint. Quæ tamen omnia loca anno 1599 ad Svecos armata manu ea recuperantes redierunt, & hactenus usque jure pacis in Svecorum manent potestate. Fluvius *Narva* Urbem præterlabens fere *Albim* Germaniæ fluvium latitudine

dine æquat, aquasque pinguis alicujus instar lixivii colorem referentes volvens, celerique admodum in mare properans cursu duobus sub Urbe milliaribus à Finnico absorbetur sinu. Dimidio supra Urbem milliari, de alto satis scopulo aquas suas vehementer strepentes præcipitat, adeo ut bona, quæ ex Lacu *Peipus* Narvam devehendæ sunt, in quodam pago ante præcipitem istium fluvii casum exonerari, ac curru Narvam devehi debeant. *Narva* Urbs 60 Latitudinis gradui subjecta est, & *Plesckoviâ* abest quadraginta tantum milliaribus; vento tamen secundo exinde *Narvam* bidui spatio iter confici posse ajunt. Distat itidem *Novogardiâ*, quæ Moscoviæ Civitas est, milliaribus etiam quadraginta.

Nieslot, Germanis *Neuschlos*, Latinis *Arx nova*, sita est in sinistro margine fluminis *Narvæ*, haud procul ab ejus exitu, quà lacus *Peipus* in ipsum aquas suas in Sinum avehens Finnicum exonerat. Est autem unicus hic exitus, cujus bene- *Nieslot.*

ficio lacus hic aquarum suarum onere levatur, cum tamen, ut fertur, septuaginta & duos fluvios, & alios fluviolos minores tam ex Moscovia, quam Livonia in se recipiat. Proximè ostium ejus, per quod in sinum parvum egreditur, vicinum habet exitum fluvii *Iamma*, ex Russia exeuntis, ad quam posita est Arx *Iammagorod*, de qua jam dictum.

Iervia. *Iervia* est Mediterraneus Esthoniæ tractus, ab Ortu Lacum *Peipum*, ab Occasu *Viciam*, à Septentrione *Wiriam* & *Hariam*, & à Meridie *Lettiam* habet. Hic ex locis præcipui momenti sunt *Wittensteyn* & *Lais*.

Wittensteyn. *Wittensteyn* in media ferè Esthonia naturæ pariter & artis beneficio Arx validissima. Ad fluvium *Pernaviam* collocata accedentibus undique paludibus cingitur, & operibus bellicis ita est firmata, ut omnem vim & impetum hostilem contemnere posse videatur. Ejus tamen Poloni præsentis sæculi anno secundo, quem memorabilem reddidit fames illa horrenda,

da, qua Rustici Livoniæ exagitati mutuis se confecerunt cædibus, & cadavera in cibi adhibuerunt usum *a*, tandem potiti sunt; sed quibus possessoribus non diuturnis, anno ejusdem sæculi septimo, à Svecis erepta, in ipsorum potestate etiamnum manet. *a Meteren l. 23.*

Lais Oppidulum est in fluvioli cujusdam margine, qui in Lacum *Peipum* suas disponit aquas. *Lais.*


Kickela Orientalis terminus est lacus *Peipus*, Septentrionalis *Embeck*, lacus *Weczerensis*, *Fela* & *Pernavia* fluvii, etiam à *Iervia* & *VVickia* segregantes. Occiduus Sinus Livoniæ magnus, & Meridionalis *Lettia*. Præcipua ejus loca *Dorpatum* & *Odenpoa*. *Kickelea.*

Dorpatum, vulgo *Derpt*, grandis & Episcopali sede insignis olim civitas cincta muris, & lapideis exstructa ædificiis. Rigâ distat milliaribus 36 vel 38. Antiquitatem ipsa loquuntur ædificia. plurimorum annorum bellis fædata, ac vicibus diversis severam Martis vicissitudinem experta de splendore suo haud multum gloriari potest. *Dorpatum.*

poteſt. Ruſſici olim imperii Civitas, & *Iuriogord* appellata. A. 1230 primam belli vim ſenſit, & occupata in Magnorum Magiſtrorum tranſiit poteſtatem, ac ſede Epiſcopali decorata eſt. Sed anno 1558 Ruſſiæ Tyrannus *Iwan Baſilewuz* eam recuperavit. Moſcovitis eadem erepta eſt anno 1582 à Rege Poloniæ, qui eam poſtea perdidit occupatam à Svecis, non diuturnis poſſeſſoribus, cum eam Polonis armorum vi ſuperioribus reddere coacti fuerint. Nam cum *Carolus* Sudermanniæ Dux Seciæ Regnum in poſſeſſionem ſuam transtuliſſet, cum Polonis bellum vehemens geſſit, ac inter alias hujus quoque civitatis potitus eſt. Sed Poloni anno hujus ſæculi præſentis tertio eam vi ſumma oppugnatam ſuæ fecerunt ditionis: cujus tandem Svecicus exercitus, qui *Iacobi de la Gardie* curæ commiſſus fuerat, regnante *Guſtavo Adolpho*, anno 1625 compos factus eſt, ita ut jam ad Seciæ Regnum pertineat. Hodierno tempore ſedes eſt judicii Regii, & Academiæ à *Guſtavo*

Adol-




A.
1. Rahthause.
2. S. Iohannis
3. S. Petri
5. Der Dom.
6. das Schloß.
pfort.
6
D
A.

Adolpho institutæ paulo ante ipsius obitum, Anno 1632, suasu & consilio *Ioannis Skytte* Liberi Baronis in *Ouderoff*, Præceptoris quondam sui. Cæterum ipsa Urbs porro Arcem habet, & ferè media inter *Peipus* & *Wertzer* lacus; utriusque, ut & *Embeck* fluvii, beneficio pisces varios & saporis optimi vili nanciscitur pretio, ut & ferinam aliaque alimenta corpori humano necessaria, ita ut parvo bene ac laute vivere hic unicuique liceat.

Odempoa oppidulum est, à quo totus hic *Kuckela* districtus multis denominatur. Cæterum memorabile nihil habet. *Odempoa.*

Lettia est altera pars Livoniæ, quæ ad Svecicum pertinet Imperium. Ad ortum Moscoviticis clauditur finibus, ad Septentrionem *Kickela*, sive *Odempoâ*, ad Occasum Sinu Livonico, & ad Meridiem *Riga* fluvio. Dividitur in *Occidentalem*, ubi civitates primariæ *Riga*. *Meridionalem* ubi *Kockenhausia*, & *Orientalem* ubi *Marieburgum*. *Lettia.*

Riga conspectui se offert in ipso exitu fluminis *Dunæ*, vel *Dwinæ*. Urbs *Riga.*

est

eſt pulchra, pulchriſque exornata ædificiis. Muris, foſſis, ac vallis optimè munita. Inde firmior adhuc & fortior reddita à Rege *Guſtavo Adolpho*, adeo ut omnem vim hoſtilem comtemnere poſſit. Populoſa item, & ob ſitum Oſtii negotiationi maximè opportuna, per quod *Duna* fluvius in Sinum Livonicum aquarum ſuarum ejicit congeriem. Marginem occupat dextrum, & ipſi inſidet planitiei. Portus hic commoditate faciens æſtivo tempore, navibus ex Germania, Belgio & Anglia adventantibus negotiationem & mercaturam admodum exercet lucroſam, merceſque illás divendit exteris, quæ hyberno tempore ex Polonia, Lithvania & Moſcovia trahis diſtrahuntur. Plateæ omnes mercatoriis tabernis & officinis plenæ: plerique incolæ mercatura occupantur. Frumenti, piſcium, carnis, ferinæ & aliorum alimentorum tanta hic eſt copia, ut viliſſimo pretio victitare hic cuivis liceat. Incolæ Germanica hic, Curlandica & Lithvanica utuntur lingua. A

Sena-

Senatu item reguntur prudenti, Augustanæ omnes hic addicti sunt religioni. In summa Politica ac Ecclesiastica administratio bene hic constituta. Urbi initium dedêre *Bremenses* qui prima Religionis Christianæ posituri fundamenta anno 1160 primi huc venerunt. Distat hæc Urbs 40 milliaribus *Vilna*, Lithvaniæ Metropoli. Arcem habet, in qua Regius totius Livoniæ Gubernator commoratur. Cæsar *Maximilianus* II in decretis Comitiorum Imperialium anni 1567 *suam & S. Imperii Romani Civitatem* appellat. Anno 1580 in *Stephani* Poloniæ Regis redacta est potestatem. Hic *Jesuitas* introduxit, & abrogato Veteri Calendario novi usum instituit. Annis 85 & 86 seditiones periculosæ ob Jesuitarum introductionem, & mutationem Veteris Calendarii exortæ sunt, adeo ut Cives Legatos suos ea de causa ad Regem miserint, qui post reditum capitis supplicio affecti sunt, quod multa silentio prætererierint, quæ ut aperirentur cives sua multum interesse:

a *Thuan. l. 83. & 84.*

b *Lundorpius l. 23. pag. 889.*

esse putabant *a*. Quo facto iram quidem Regis *Stephani* in se concitarunt, sed post obitum ejus à Rege *Sigismundo* III successore, anno 1593 plurimis privilegiis & immunitatibus donati sunt *b*. Rex Sveciæ *Carolus*, *Gustavi Adolphi* pater, anno 1605 exercitu suo in Livoniam trajecto, cincta obsidione urbe, infelici conatu ejus tentabat expugnationem, & quidem adeo, ut milite suo à Polonis ad internecionem ferè cæso, ipse vix evaserit. Verùm conatum hunc filius ejus *Gustavus Adolphus* feliciori reparavit successu, ut qui, post arctam & difficilem sex septimanarum obsidionem, 15 Kal. Octob. deditione ipsam cæpit. Ob quam deditionem cum Præsidiarius Polonorum miles male apud suos audiret, quod temere tam validam urbem in hostium manus tradidisse videretur, omnia obsidionis acta, historiamque Latino ac Germanico idiomate cum sua Apologia edidit ad *Christophorum Radzivilium* Lithvanici Exercitûs Imperatorem, & Magni Ducatûs Livo-

niæ

niæ Gubernatorem summum, qua extremam necessitatem & inevitabiles deditionis suæ aperuerunt causas [a].

Meridionalis Lettiæ, præcipuum Oppidum est *Kockenhausia*. Hic arx & Oppidum est operibus militaribus contra omnem hostium vim munitissimum. Archiepiscopi quondam Rigensis sedes & habitatio. Anno 1577 locum hunc Moscovitæ in suam redegerunt potestatem. Postea ipse Moscovitis ereptus & à Svecis & à Polonis habitus, donec tandem post inducias Kal. Jan. anno 1625 finitas *Gustavus Adolphus* Sveciæ Rex in Livoniam cum suo exercitu veniens eodem anno & Oppidi hujus & Arcis potitus fit. Incumbit Ostio fluvii *Kockma*, qui *Dunæ* aquis suas hic adjungit. Habet item *Duneburgum*, quæ Arx itidem validissima in dextra *Dunæ*, vel *Dwinæ*, fluminis ripa, supra *Dubenavii* fluminis ingressum in *Dunam*. Duplex est *Vetus* & *Nova*, quarum *hæc* vallis & operibus aliisque bellicis firmissimè munita. insultantes depellere hostes,

[a] *Chytræus in Saxon. tit. Livon.*

Kockenhausia.

ſtes, ac tuta ſuis defenſione proſpicere poteſt.

Marienburgum. Orientalis autem Lettiæ, nobile eſt *Marienburgum* Oppidulum & Arx in paludibus ſita, quæ per alveum in fluvium *Puder* aquas emittunt ſuas. Eſt autem haud longe à Moſcoviticis ſita finibus.

SCANIA.

Scania. SCania ultimum peninſulæ Scandinaviæ latus claudit Boreale. Hæc ſub Danico diu fuit imperio, donec *Fridericus* III, præſens Danorum Rex, occupato *Carolo Guſtavo* Polonicis cum *Caſimiro* Rege bellis, recepturus quæ noviſſimo ante bello patri ſuo extorſerant Sveci, anno 1657 bellum iis moviſſet, de quo jam ante ad finem Hiſtoriæ noſtræ diximus in Vita *Caroli Guſtavi*. Dicitur à *Schoon* & *anco* h. e. Latifundium pulchrum. Eam *Adamus Bremenſis*, dicit: *armatam viris, frugibus opulentam, ac ditem mercibus*: alii *alterum Orbem terrarum, gentiumque officinam* & *vaginam nationum* appellarunt, ut *& affluentiſſimam mortalium multitudi-*

tudinem. Vere pulchra & amæna, frugum fertilissima, & frequentia hominum ac oppidis cultissima Regio; pecoribus apta sylvis gaudet atque venationibus, pulcherrima hodie Sveciæ Provincia. Olim auri, argenti, æris inexhaustæ ei tributæ fodinæ: hodie eas nusquam reperias, nisi illam forte quis velit, quam vicini freti suppeditat telonium. *Opulenta armis, virisque armata, & ditissima mercibus, Ecclesiisque quondam adeo plena, ut bis tantum in suo habuerit spatio ac Sialandia, h. e. trecentas, cum Sialandia dicatur habere dimidium* a. In summa multum ad commendationem hujus facit Regionis, quod Gentis de ea scribit Author. *Scandia est regio fertilissima, ager melle & frugibus opimus, extra quod pecorum fatu omnibus antefertur: opportunitas fluminum, sylvarumq; magna ubique, peregrinis mercibus omnis regio plena.* Nullis dicas egere Sveones opibus, excepta, quam nos diligimus, sive potius adoramus, superbia. *Hospitalitate ita sunt insignes, ut omni probro illis sit gravius hospitium negare*

a *Adamus Bremensis.*

re transeuntibus, quin & certamen habeant inter se, quis dignus sit hospitem recipere. Cui omnia exhibentes humanitatis, quot illic commorari voluerit diebus, ad amicos suos illum certatim per singulas dirigunt mansiones. Hæc illi bona in moribus habent. Prædicatores sunt veritatis, casti, prudentes. Populi sunt multi: viribus & armis egregii, & tam in equis, quam in navibus juxta bellatores optimi. Unde etiam sua potentia ceteras Aquilonis gentes confregêre. Reges habebant ex genere antiquos, quorum tamen vis pendebat ex populi sententia. Quem in commune laudabant omnes, illum confirmari oportebat, nisi ejus decretum potius visum fuisset, quos nonnulli sequuti fuerant inviti. In prælium euntes omnes præbebant obedientiam Regi, vel ei, qui doctior à Rege præferebatur. Olim & hodie halecum captura est locuples & dives. Est ultima pars peninsulæ versus Meridiem. Undique mari cingitur, præter unum brachium, quod porrigitur in Boream, versum tamen ad Orientem, quo jungitur Sveciæ: sed inter quam profundi intercedunt saltus, asperrimæque

rupes,

rupes, per quas ex Scania in Gothiam, quæ pars est Sveciæ, iter agitur tam difficile, ut dubites utrum sit levius marino discrimine terrestrem vitare laborem, an istud illi præponere [a]. Dividitur in *Scaniam* proprie dictam, *Hallandiam* *Bleckingiam*.

[a] *Albert. Krantz. Dan. c. 1. pag. 3.*

Scania proprie dicta Latitudinem habet duodecim milliarium, Longitudinem vere octodecim. Posita est inter *Bleckingiam* & *Hallandiam* loco medio: quarum hæc spectat Boream, illa vero versus Ortum Australior est. Regio, ut dictum est amænissima, Oppidis, passimque Arcibus Nobilium, Curiis, prædiis, templis ac Monasteriis ornatissima. Ubi trajectus ex ea in proximam insulam *Sialandia* est brevissimus, Arx conspicitur Regia excelso in colle posita, *Helsinburgum* appellata, & Oppidum juxta ejusdem nominis. Tribus inde milliaribus in Meridiem, alia est ad mare Arx & Urbs, *Cronia*, vulgo *Landskrone*, à qua ad usque *Malmogiam*, quæ & *Ulleboget* exteris dicitur, duo

tantum sunt milliaria. Estque ea insigne Emporium, & præcipua Scaniæ Civitas, propter Nundinas & frequentes negotiationes. Inter vero utramque *Malmogiam* & *Croniam* collocatur *Lundia*, sedes olim Archiepiscopi. Hinc duobus ad Austrum milliaribus est *Falsterboa* vicus, ob halecum capturam olim celebratissimus; versus verò Septentrionem *Engelholmum*, olim civitas, nunc pagus. Præfecturas, quæ *Herret* appellantur, majores Seciæque finitimæ sunt, *Gutherret* & *Frosten*. Sed de dictis Civitatibus singulis hoc narrabimus ordine.

Cronia. *Cronia*, vulgo *Landeskrone*, maritima est civitas, ab *Erico* VIII Daniæ Rege primum condita, sub annum à Christo nato 1513, cum prius eo loco pagus fuerit *Seby* dictus. Cujus adhuc appellationem platea quædam in hac regione retinet incolis dicta *Selygade* h. e. *Selyensis platea*. Quam *Ladoram* appellat *Saxo* de *Erico* IV & *Valdemaro* I. Ea non civitas fuit; sed longior quidam, ut ipse habet,

arenæ


LA
NAPOLI



arenæ tractus à littoris continente in mare procurrens. Nec facile est dicere sub quonam Scaniæ littore is fuerit tractus, hic ne, ubi *Coronia* est, an alibi. Vicinus est Urbi ad Orientem fluvius, dimidio tantum milliari ab urbe dissitus. Hic in Meridiem fluens se in mare exonerat: cursu nonnihil flexo ad Aquilonem, mari mixtus Coroniam præterlabitur, ac portum efficit vastarum etiam navium capacem. Quæ situs præ cæteris commoditas occasionem præbuisse videtur condendæ hoc loco civitatis. Quin & portus idem haud parum momenti ad victoriam attulit *Christiano* III, cum, patre defuncto, de Regno dimicare cum adversariis, ac *Comite* præsertim *Oldenburgico*, cogeretur. Tum enim occupata Urbe tutam classi ejus stationem hic sinus præbuit. Quod inde ita victori Regi & portum commendavit & Urbem, ut postea Arcem quoque in ea condi fecerit, eo loci ubi antea fuerat Carmelitanorum Monasterium. Adque eam loci amplitudi-

nem hoc juxta adjecit, quod anniversarius *Enghelholmiensis* mercatus in eam translatus sit civitatem. Incidit hoc in annum 1547. Portæ Civitatis versus Meridiem & mare tres sunt; totidem etiam qua Urbs Continentem spectat Per has ingens rerum venalium, quas vicina producit regio, importatur copia, sicuti per portas maritimas, quæ mari advehuntur, ex variis Europæ regionibus, Livoniâ, Russiâ, Sveciâ, Pomeraniâ & maritimis Germaniæ Civitatibus. Hollandiâ item, Angliâ & Scotiâ, ultimâque Norvegiâ, ut & aliis perplurimis locis. Nunquam tamen vel mercium, vel hominum in hac civitate frequentia major, quam circa Solstitium æstivum, cum in ea mercatus exercetur maximus. Non procul à porta maritima Orientaliori forum est peramplum, juxtaque Prætorium magnificè exstructum. Et circa forum, quemadmodum passim in Urbe tota, maximè versus portas Borealem & Orientalem, privatorum ædificia sic satis splendida.

Malmogia. *Malmogia* nonnihil *Cronia* vetustior

ſtior eſt, ut pote anno Chriſti 1320 vel circiter condita, ſub initia ferè gubernationis *Christophori* II Daniæ Regis. Nunc Scaniæ totius propemodum eſt metropolis, idque mercimoniorum, quibus inclaruit, opportunitate. Maritima eſt, & à *Lundia* vix duobus Germanicis diſtat milliaribus verſus Meridiem: à *Coronâ* totis quatuor. Incolæ eam *Malmoe* appellant. Olim inferiorem *Malmogiam* hanc dictam comperimus ad differentiam pagi alicujus vicini, qui à mari remotior, & loco aliquantum editiori ſitus, eandem obtinuit appellationem, ita tamen ut illa *Superior* diceretur *Malmogia*, quemadmodum hæc *Inferior*. Danice *Offre Malmœ* ut *Nedre Malmœ*. Sublato pago, cujus etiamnum extant veſtigia, & ejus cognomine, hæc ſine additamento appellatur *Malmogia*, quam Hollandi conſtanti ſua lingua appellant *Elleboghen*, quod Cubiti formam referat, *Anconam*, quæ & Italiæ eſt Civitas, poſſes dicere. Eſt ad hanc Civitatem maris flexus quidam, quem fre-

quentasse Germanos est verisimile, piscationis olim causa in Scaniam profectos, etiam ante *Malmogiam* conditam. Cognominem sibi Urbem habet in Regno Bohemiæ, si vocabulum præsertim, quo eam, ut diximus, Belgæ ferè efferunt, *Elleboga* sequamus. Nam & ibi similiter *Elleboga* reperitur. *Waldemarus*, Margaretæ pater, Daniæ Rex hoc Civitati huic, præter cætera, peculiare dedit, ut à telonii solutione immunes essent Malmogienses in quamcunque Daniæ oram cum mercibus venire ipsis contingeret. Datum hoc privilegium renovavit ac confirmavit *Ericus* VIII, ac idem *Coroniæ* Urbi, à se, ut dictum est, ædificatæ contribuit. Malmogia Arce munitissimâ insignis est, itemque ædificiorum magnificentiâ, quæ nusquam sunt per Scaniam, quam in hac Urbe magis splendida. Arx exstructa est imperante Rege *Erico Pomerano*, sub annum Christi 1434. Qua parte mare spectat & Circium muro tota cingitur, portis etiam quibusdam pervio, ex quibus duæ

sunt

sunt celebratissimæ. Altera, qua in Arcem itur; altera qua ad pontem, qui in mare procurrit. Ad quem appellunt minora tantum navigia, aut si quæ cymbæ, aut naves actuariæ, cum hominibus vel mercibus, seu *Hafniâ* adveniunt, seu solvunt *Malmogiâ* Hafniam aut alio navigaturæ. Grandiora autem Navigia, aut Onerariæ *Holcades* dictæ, procul à ponte & civitate consistunt, velut in portu, tolerabili illo quidem, verum non admodum tuto, Circio præsertim flante. Reliqua Urbis pars versus Continentem & Austrum vallo ac fossis probè munita est; paludibus etiam quibusdam tutam eam præstantibus: nisi ubi & horti sunt (sunt autem circa hanc Urbem frequentes) vel vivaria, sive piscinæ. Portæ hic sunt præcipuæ, Orientalis una, altera Meridionalis, quibus & turres impositæ visuntur, cum haud paucis tormentis majoribus, quæ ex turribus passim prominent. Tertia porta Occidentalis; sed quæ non admodum frequentatur, ut duæ aliæ superiores, nisi cum hale-

cum ſub littus Scaniæ exercetur piſcatio, quod ferè quotannis fit à feſto *Bartholomæi*, ad *Dionyſii* uſque per ſex continuas circiter ſeptimanas. Eſt hæc porta mari vicinior, eoque per eam, ſicuti & per maritimas illas, magna paſſim importatur per id tempus halecum, ſeu harengarum copia. Celeberrimus enim tunc & quotidianus eſt tota Urbe mercatus, exoticis etiam mercibus quamplurimis in urbem importatis, navigiorum beneficio, per portas maritimas. In media penè Urbe forum eſt ſpatioſum admodum, & in eo, verſus Ortum, Civica domus, ſive Prætorium imprimis amplum atque magnificum, ſub annum à nato Chriſto 1546, haud mediocribus Civitatis impenſis exſtructum, diruto prius, quod in vicinia erat, Franciſcanorum Cænobio. Eſt & in medio nunc foro *Ciſterna* longè capaciſſima, quæ per ſubterraneos canales, aut cuniculos, eò ex quodam extra Urbem rivulo deducta ad quotidianos & neceſſarios uſus, omnibus in vicinia habitan-





bitantibus aquam fundens copiosissimam. Non procul à foro, Orientem versus, Templum est Divo Petro olim dicatum, spatiosum imprimis & magnificum; sed quod lateritium est, excepto fundamento, cui ad Occidentem adhæret turris, impositam habens pyramidem, perquam editam arduamque laminis partim cupreis partim totam plumbeis tectam. Proximè ei adjacet Schola versus Ortum Brumalem, & nomine quidem suo haud incelebris, in qua Rector unus cum quatuor hypodidascalis.

Lundia Meditaranea quidem est, sed ita ut Unico tantum miliari à mari distet. Eo est situs illius commoditas, ut sedes hic Archiepiscopalis fuerit constituta anno 1559. Fuitque summæ dignationis hic Episcopatus. Nam olim, ut est matricula Ordinum Sacri Romani Imperii, inter cæteros quoque *Lundensis Archiepiscopus* ad Imperii Comitia evocari, inque iis suffragii jus habere solitus est. Quando fuerit, & à quo quibusve condita *Lunda*, nusquam in historiis legitur. *Lundia.*

Qui Anglos conditores agnoſcunt, appellatione ſola moti videntur, quæ communis eſt huic cum Angliæ Metropoli *Londen.* Germani enim utramque civitatem *Lunden* nominant. Dani hanc ſuam ſua lingua *Lund* dicunt, quod nomen *lucum*, ſeu *nemus*, ipſis ſignificat. Nec aliud etiam veteri Britannorum idiomate hoc ipſum notaſſe, ex *Cambdeno* conſtat: ut ita *Lundia* hæc noſtra, Britanniæque *Londinum*, *Tacito* quoque nominatum, eandem nominis ſui originationem ſortita ſint. Utrum antiquius ſit, affirmare certo nequiſquam habet. Omitti interim haud poteſt, quod de hujus *Lundiæ* antiquitate Danicis circumfertur rythmis:

Den tid Chriſtus log ſig fode,
Stod Lund oc Schanor. fegerſte quade:

Quorum hæc ſententia, *Chriſto naſcente floruiſſe* Lundam & Schanoram. Eſt autem *Schanora* vetuſtiſſimum ejuſdem Scaniæ municipium. Nunc vicus exilis, tribus circiter à *Malmogiâ* milliaribus diſtans, verſus Ortum Brumalem. *Lundia* vallo olim & foſſis fuit circum-

cumcincta. Portas habuit tres Semptentrionalem, quæ hodie *Sancti Olai* dicitur, ob templum Sancti Olai ei proxime vicinum, hæc latæ plateæ porta est dicta, à plateâ quæ ad hanc recta ducebat. Altera Orientalis, porta *S. Martini* appellata, ab eo quod in vicinia illius erat templum, à quo plateæ quoque nomen inditum. Tertia Meridionalis, quæ *Rubra* dicitur & *Malmogiam* ducit. Harum portarum etiamnum existunt vestigia: iis enim locis sua adhuc relicta sunt rudera. At vallo jam diruto, non tribus modo, sed sex aut septem nunc viis in Urbem patet introitus. Inter Parochialia templa, quæ circiter viginti duo fuerunt, primas semper tenuit *Ædes Laurentiana* Cathedralis, in meditullio ferè Civitatis collocata, vasti operis ac imprimis magnifica. Ex secto enim lapide constructa, ac laminis plumbæis tota est tecta. Hujus prima ædificatio tribuitur *Sveoni*, qui sub Christi anno 1017 excessit, summam tandem adjiciente manum *S. Canuto* Da-

niæ Rege, sub quo & facta dedicatio anno 1085, 12. Cal. Junias, h. e. anno ante ejus cædem proximo. Quo tempore Collegium etiam Canonicorum institutum, & Ecclesia Ecclesiasticis ab eodem Rege *Canuto* quam liberalissimè dotata. Habet hoc *Laurentianum Templum* tria præterea memoranda: Hypogæum, Horologium & Altare. *Hypogæum* à Saxone quoque Grammatico celebratur. Hodie *Cryptam* vocant, occupatque universum penè, quod est sub Choro, spatium, ubi & olim non minus quam in ipso templo sacra fiebant. In hoc conditus est *Bernhardus Anglus*, qui baptisato *Olavo* Sveco *Jacobi* nomen imposuit. Evocatum autem eum ex Anglia à Daniæ Regibus rerum testantur memoriæ. *Crantzius* Lundensem etiam *Episcopum* facit, sed perperam. Nam primi, quorum *Saxo* meminit, Episcopi Lundenses celebrantur *Eguinus* & *Richvoldus*, uterque etiam Anglus, cujusmodi & *Gulielmus* fuit, Roschildensis Episcopus. Claruitque *Egvini*

Hypogæum Lundiæ.

ni

ni & *Richwaldi* hujus temporibus *S. Canutus*, de quo dictum, Daniæ Rex. Cujus tristem exitum, ut & filii illius Caroli, Flandriæ Comitis, *Eiduothus*, item Anglus, scripto complexus est. Anglum enim se fatetur ipse, & annos viginti quatuor in Dania versatum scribit. Ob quæ cum Danis quotidiana Anglorum commercia, tum & nomen *Lundæ* cum *Lundâ* Britannicâ commune, quomodo & modo innui, plerique *Lundæ* fundationem Anglis ex conjecturâ potius, quam re attribuerunt. *Horologium* quod dixi est collocatum in parte Templi, qua in turrim ascenditur Australem, ubi tabula parieti affixa visitur quadrata oblonga, utcunque magna, circulis aliquot variorum colorum, quorum, qui maximus est, diametrum habet pedum circiter octo. In qua quidem tabula, per certos ejus rei indices, & annus currens, & mensis ac septimana, dies quoque singuli, ac horæ singulæ monstrantur liquidissimè, addito etiam festo, si quod illo die celebretur, tam fixo, quam

Horologium Lundiæ.

mobili. Docetur etiam quis Luminarium Solis & Lunæ motus, quæque horum in Zodiaco loca diebus singulis, & ad se invicem sint habitudines. Et foris quidem in dicta tabula hæc spectantur; Intus autem machinis quibusdam, ad id rite fabrefactis, res peragitur. Accedunt & parerga, ut equites prodeuntes cataphracti, qui horæ cujusque pulsum certis ictibus se ipsos petentes indicant, aliaque ejusmodi, quæ præter insigne Automati artificium argumento sint Majores rerum Mathematicarum haud inexpertes fuisse. Est enim opus minime novum, quamvis de authore, aut quo sit tempore constructum, minus constet. *Altare* postremo in eadem hac æde spectatur perquam magnificum, recens tamen, ut pote sub annum Domini 1577 haud exiguis Ecclesiæ sumptibus exstructum, procurante id Viro Nobilissimo *Hilario Grubbe* Tutore, & Ecclesiæ ejusdem Præposito, eodemque Regni Danici Cancellario ac Senatore prudentissimo. Est autem Altare

Altare Lundiæ.

hoc

hoc peramplum & marmore partim candido, partim nigro, versicolore etiam nonnullo, artificiose admodum ordinato atque polito, expressis in eodem, præter alias quasdam effigies, imaginibus Regis *Frederici* II & *Sophiæ Reginæ* Conjugis, horumque Insignibus. Mediam tabulam occupant simulacra *Servatoris* & *duodecim Discipulorum*, mensæ veluti accumbentium, eo ritu; quo in prima sacrosanctæ Cænæ celebratione consedisse apud Evangelistas referuntur.

Helsingoburgum Scaniæ civitas est maritima, *Saxoni* Grammatico *Helsinga* & *Helsingum* dictum à populis, ut videtur, *Helsingiæ*, quorum in Svecia etiamnum clarum est nomen. *Adamus Bremensis* non *Helsenburgum* sed *Helsingburgum* appellat, quod scilicet Balthici maris faucibus, sive, ut vulgo vocant, ipsi ejus cervici, quæ *hals* dicitur, sit adsitum. Sita est Urbs ipsa ad fretum illud celebratissimum *Oresunda* quod vocant indignæ; sive fauces potius, per quas in Balthicum *Helsinburgum.*

mare, vel ut *Mela* & *Plinius* nominant, in sinum Godanum illabitur Oceanus. Brevissimus hic ex Scania in adversam *Sialandiam* trajectus est. Porrigitur autem secundum littus in longum magis, quam in latum civitas: idque ob montem qui Urbi imminet, Arcem habens ejusdem cum Civitate nominis. Arx hæc ea est amplitudine, ut videri per se municipium aliquod possit. In hujus meditullio turris visitur quadrata; & ipsa ampla admodum atque inprimis edita, quæ ad milliaria aliquot procul spectandam se exhibet. Hanc turrim duplex ambit murus: alter proximè eam cingit, alter, qui est remotior, arcem totam, undique ædificia complectitur quamplurima, quotidianis eorum, qui arcem tenent, usibus accommodata. Murus idem exterior, qua parte Ortum & Aquilonem respicit, fossâ cingitur sic satis profunda, quod id latus minus videatur natura munitum, quàm Occiduum, quod est præruptum atque arduum, suaque natura inaccessum.

De

De tempore exſtructæ hujus Arcis circumferuntur barbari quidam verſiculi, qui ſic habent.

Tempore Natalis Christi, turris capitalis
Helſingborg ſtruitur, veluti in ſcriptis reperitur.

Ea tempeſtate Danorum imperium tenuit *Froto* III, ut memorat *Saxo* Grammaticus. In Urbis medio Templum eſt Virgini olim Deiparæ dedicatum, ex cocto lapide quidem exſtructum, ſed imprimis amplum atque excelſum, cui turris addita aliquanto altior. Univerſum autem ædificium ejusmodi plane, ut & gratiam quandam habeat, quòd decenti ſimplicitate commendetur, quòdque copioſa undique luce perfundatur. Nuſquam plura quam ibi antiquæ Nobilitatis Danicæ ad parietem templi Borealem depicta viſuntur inſignia, ſepultis in eodem templo præſtantibus illuſtri ſtemmate Viris. Non procul à templo, Auſtrum verſus, *Pratorium* eſt, unaque *Forum* in quod merces ſuas quotidie invehit frequens

quens vicinia. Præter mercatum hunc quotidianum, in quo civium potissimum ac vicinorum servitur commodis, alii duo anniversarii, alter in medio Quadragesimæ, alter sub Dominicam Palmarum dictam celebrantur, tantâ non ex Daniâ modo, verum etiam ex peregrinis, & procul dissitis regionibus, hominum multitudine, rerumque copiâ, ut vix in ulla totius Regni panegyri, vel mercium sit, vel hominnm major frequentia.

Olim cum res Danicæ Rege *Rolvone* starent, cujus ante Christum natum æra memoratur, illustre hic fuit *Lethra* Oppidum, *Rolvone* eodem conditore. Refert id *Saxo Grammaticus*, cujus hæc sunt verba: *Refertus itaque falsâ vectigalium mole navigiis* Lethram *pergitur, quod Oppidum à* Rolvone *constructum, eximiis Regni opibus illustratum, cæteris confinium provinciarum Urbibus Regiæ fundationis, & sedis authoritate præstabat.* Oppido Arcem additam fuisse singularis munitionis, ex verbis ejusdem constat, cum inquit:

quit: *His cognitis* Helgo *filium* Rolvonem *Lethricâ arce conclusit, heredis saluti consulturus, utcunque suam fortunam tentaßet.* Regiam aulam Comitiaque ibidem antiquitus habita, idem author testis est: ubi *Rutam* minabundus alloquens *Biarco* ait: *Lethra nequaquam sospes abibis.* Alii *Lethram* hanc in *Sialandia* ponunt. Sed de his satis.

Hallandia à parte Aquilonari proxima est *Scaniæ*, quæ *Norvegiam* versus Boream, ab Ortu attingit *Sveciam.* Antiquitus Westro-Gothiæ pars habita. Initium accipit, ubi Scaniæ est côntigua, ab immenso illo promontorio, quod *Hallants-Aſſ*, indigenæ, Nautæ & exteri *Kol* appellant. Indeque secundum littus ad usque *Elsburgum*, Sveciæ Arcem, extenditur. Ab Ortu eam Sveciæ partem attingit quæ Wester-Gothia dicitur. Estque magna agrorum fertilitate & nobilium prædita habitationibus: abundat piscibus, cygnis & anatibus, agminibus boum & equorum. Littus asperum est scopulis. Urbibus præterea, arcibus, templis, *Hallandia.*

præ-

prædiis & pagis passim exculta. Civitates maritimæ sunt *Hallants-Ass*, *Laholmia*, *Halmstadium*, *Falckenburgum*.

Warburgum. Præ cæteris *Warburgum* insigne est propugnaculum, ut & *Halmstadium*, vallo & fossis, procurante *Christiano* IV, singulari artificio ac cura communita. Civitas maritima operibus validis circumcincta. Erecta olim ad cohibendas Svecorum incursiones, ut pote quæ sex tantum milliaribus aberat Svecicis limitibus. *Nicolaus* Regis *Waldemari* filius hujus loci Comes fuit, qui Clientelari sacramento Danico Regno obstrictus eum possidebat. Habuit successorem *Nicolaum* II, & post hunc *Iacobum* II, quorum posterior fœderis contra Regem initi convictus Comitatu hoc excidit *a*. *Frederico* Daniæ Rege cum Svecis bello decertante, *Ericus* Sveciæ Rex Civitatem cum castro vi anno 1565 expugnavit *b*. *Warburgum* Sveci mille & quingentorum militum jacturâ expugnantes, ædibus Civitatis igne subjecto, cives occiderunt: Pastorem ante altare summum decolla-

a *Joh. Lyscander Serm. 3. Antiq. Dan. p. 31.*
b *Heldvaderus p. 176.*


T SLOT
In



collaverunt. Uxores & Virgines pulchritudiue insignes in Sveciam captivas abduxerunt, interfectis cæteris, quos senectus inhabiles reddiderat. Memorabilia in hanc rem sunt verba Authoris *a*: *Fuit hæc celebratissima semper ac potens Civitas, & præstantissima. Ut fama est, Danorum munitio proximus annis contra Svecorum irruptiones, de quibus duodecies clarissime triumphavit; sed postea proditionem molientibus, quibusdam conductivis ex Scotia militibus, maximam cladem accepit.* Dani postea castrum frustra obsederunt; Altera tamen obsidione 3 Iduum Novemb. anno 1569 deditione receperunt *b*, cujus hæc narratio. *Munitissimum castrum* Warburg *in summis montium* Hallandiæ *jugis, Regis* Frederici II *jussu, obsidione tam arcta obsessa est* à Daniele Rantzovio, *ut tandem Danis se dedere coacta fuerit. Ipse tamen* Rantzovius *anno* 1569 *globo ex æneo tormento aliquo majore erumpente caput trajectus ibidem periit* c.

a *Lyscandri.*

b *Chytræus*

c *Heldvaderus.*


Halmstadium Hallandiæ etiam Civitas Sinus Codani fluctibus al-

luitur.

luitur. Imperio Svecico submissa anno 1645; certis tamen conditionibus *Christophorus* Daniæ Rex anno 1323 *Canutum Porsium*, ex Hallandia præcipuæ nobilitatis Virum, Ducem creavit. Ab hoc circa annum 1327 *Helmstadium* privilegiis suis donatum, postea hujus Regionis *Hallind* incolis appellatæ Metropolis evasit. *Halmstad* vero, aut *Helmstad*, Urbem *Hilleviorum* interpretantur. Vallis ac fossis eam sepiendam & firmandam curavit *Christianus* IV. Verba Authoris sunt a: *Inferioris* Hallandiæ, *ubi sedem habuerunt Duces caput est* Halmstadium, *adeo præstans, ut totius Regni Svecici vim & robur sola sustinuerit.* Anno 1563 Ericus exitu sperato carentem obsidione eam tentavit. Anno 1619. 5. Kal. Martii *Christianus* Daniæ Rex, & *Gustavus Adolphus* Rex Sveciæ, in hac civitate se mutuo salutavêre, & 6. Non. Maji humanissima valedictione alter alteri omnem felicitatem precatus discessêre. Littus innumeras fere habet insulas & scopulos sine nomine, quorum series latè se circa

a *Joh. Lyscander. serm. 3. Annq. Dani.*

ca


HELMSTADT
in Hallant
Suyder poort
Haven
Ooster



ca Norvagiæ oras ac promontoria extendit. Nemora item & ſylvas habet permultas: ubi lupi, cervi, capreoli, vulpes ac lepores frequentiſſimi, ex quibus lucroſiſſimæ proveniunt venationes.

Bleckingia ad Auſtrum adhæret Scaniæ, non procul ab ea Sveciæ parte, in qua Civitas *Calmaria* cum arce ſita eſt. Germaniam reſpicit, & has habet partim ad mare, partim ad ſinum aliquem maris poſitas Civitates, *Trelleburgum*, *Uſtadium*, *Santhameram*, *Abuyſium*, *Selsburgum*, *Ellenholmiam* & *Rottenbyam*, quæ ad fines Sveciæ eſt ſita. His acceſſerunt nuper Oppida bina à *Christiano* IV condita. *Chriſtianopolis* & *Chriſtenſtadium*. Incolæ ut plurimum cum Germanis, maximè verò cum Lubecenſibus & Roſtochienſibus frequentes exercent negotiationes: Colunt agros, ſed potiſſimum gaudent paſcuis. Tres hæ provinciæ *Scania*, *Hallandia* atque *Bleckingia* duplo amplius conſtituunt ſpatium, quam vicina *Sialandia* inſula. Utraque autem *Hallandia* & *Bleckingia*, Ducatus

Bleckingia.

catus olim nomine fuerunt celebres.


Trelburgum maritimo tractui inhæret. Olim ſplendore ſuo celebris; hodie verò ad vilitatem redactus locus. In *Petri Lindebergii* Roſtochienſibus Chronicis legitur: Hanſeaticas Civitates *Woldemarum* Daniæ Regem bello aggreſſas, *Hafniam*, *Helſingoeram*, *Nicopingam*, *Falſterboam*, *Schonoram*, *Altholmam* aliaſque occupaſſe urbes, eaſdemque pace facta reddidiſſe, excepta tota *Scania*, quam ſumptuum & damnorum à Danis illatorum ſarciendorum cauſa, ſedecim annos poſſederunt. *Trelbürgum* autem oppidum nocturnum incendium anno 1558 in cineres convertit & favillas.

BAHUS.

Trelburgum.

BAhus Una ex primariis Norvagici Regni Arcium. Opus *Haquini* IV Norvegiæ imperantis juſſu exſtructum anno 1309. Ingenti ſcopulo flumini *Trolheta*, in finibus *Svecicis* & *Weſtro-Gothicis* accumbenti impoſitum. Regio tota

Wich,





Wick, aliis *Wickia*, vulgo *Wyckſyden*, vel *Vigſiden*, ei ſubjecta eſt. Eſt Arx hæc non magna intercapedine disjuncta ab Arce Svecica *Ludoſia*, a Danis anno 1502 exuſta. Anno 1565 & 1566 bis obſidione fruſtrà tentata. Poſtea peracto bello, inter Sereniſſimos *Fredericum* III Daniæ, & Guſtavum Adolphum Reges, anno 1660 transactis pactis imperio ceſſit Svecorum.

BORNHOLMIA.

B*ornholmia*, quam ex pactis nuperis dubii diximus futuram juris, ſuperato *Falſterboenſi* promontorio, ex Sialandia navigantibus ſeſe offert, à Scania quatuor circiter milliaribus remota. Hæc præter pàgos plures, Nomarchias habet quatuor, quarum ſingulæ ſuas habent Eccleſias. Arces habet *Santwicum* & *Hamershuſium*. Oppidula item tria, *Nexoam*, *Rundeam*, & *Swaneckeram* vulgo, h. e. *Olorum paludèm*. Longitudo ejus in ſeptem protenditur milliaria: Latitudinem exæquant duo. Sunt

qui

qui *Santvicum* non oppidum, sed municipium tantum esse volunt. Hoc Saxo Grammaticus *Boringiam* dixit. *Adamus Bremensis* Scaniæ ac Gothiæ dixit proximam, *Daniaque portum ac fidam navium stationem, quæ à Barbaris in Greciam dirigi solebant.* Pascuis adeo fertilis habetur, ut ad exteras etiam regiones, præter butyrum & sevum, frumentum etiam, lanamque & carnem ovinam bovinamque muriâ conditam abunde transmittit.

FINIS.

PENINSULANI

REGNI SVECIÆ.

INDEX

Rerum in hoc Opere maxime memorabilium.

A.

Coro-

F.

Incer-

Kimi-

M.

Mis-

Nobi-

 Pe-

Q.

R.

Van-

ite-

FINIS.


K4i.

